PETRI LIZETII IVRISCONSVLTI,

Dum ſequentem componeret tractatum, primi in ſupremo Francorum conſiſtorio Præſidis officium exercentis: & nunc cùm in lucem edit Abbatis commendatarij ſancti Victoris Tractatus,

De mobilibus Eccleſiæ præceptionibus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

Sex libros continens.

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,

M. D. LII.

PETRI LIZETII IVRISCONSVLTI, DVM SEQVENTEM COMPONERET TRACtatum, primi in ſupremo Francorum conſiſtorio Præſidis officium exercentis: & nunc cùm in lucem edit, Abbatis commendatarij ſancti Victoris Tractatus, de Mobilibus eccleſiæ præceptionibus ſex libros continens.

*

PRIMO LIBRO

Diuinis mandatis, ut illa facilius ſuſtineantur, & adimpleantur, eccleſiæ adminiſtros mobiles ad id conducentes adijcere præceptiones potuiſſe, admodum luculenter demonſtratur.

SECVNDO LIBRO

Mobiles eccleſiæ præceptiones, pro tutiore facilioreq; diuinorum mandatorum executione, illis adiungere non modò conducibile, uerùm & neceſſarium fuiſſe: nec Chriſtianiſmo ullo expedire modo, eas ipſas abrogari, ſed potius continuo uſu retineri, euidenter probatur.

TERTIO LIBRO

Eccleſiaſticis præceptis, etiam ad æternæ reatum pœnæ in tranſgreſſores aſtrictorium ineſſe uinculum, eamq; pœnam anathematis etiam illis à conditoribus ſubſcribi potuiſſe, non parum multis probatur rationibus, neque ob id euangelicam uiolari libertatem.

Etiam iuſto liberoq; Chriſtiano ſpiritum adoptionis habenti, pro directione eccleſiaſticam præceptionem impoſitam cenſeri : & ſi eam tranſgrediatur eum illius adſtringi uinculo, nec inde ullo pacto Chriſtianam lædi libertatem,clariſsimè approbatur.

QVINTO LIBRO

Aſtrictorio eccleſiaſticarum præceptionum uinculo, uel pœnæ ſubſcriptione, haudquaquam priſcæ carnalis ſeruiliſq; legis ſymbolum,uel memoriam referri, luculentiſsimè demonſtratur.

SEXTO LIBRO

Eccleſiaſtica pręcepta diuina ac euágelica potius,quàm humana cenſeri debere:eaq; reuerenda ac exequenda eſſe: nec autorum impurioribus fortaſſe moribus illis uel autoritatis uel reuerentiæ quiddam decedere, quin ſemper uelut ſancta amplectenda ſint, euidentibus rationibus demonſtratur.

QVVM à curis feriatus publicis,uel quiddam otij nanciſci potui, ut fatigato forenſi occupatione ingenio leuamentum afferrem,
1. Machab. pro ſolatio cum Machabæis ſanctorum le-
cap.12. ctionem librorum habere ſemper boni con
Ad Rome. cap.15. ſului. Inde nempe, ſi Apoſtolo credamus, intranea ſuboritur conſolatio, quæ patientiæ adiuncta præſentis æternæq; uitæ ſpem habet: indeq; publicæ ſarcina curæ leuior ac dulcior efficitur. Quippe ut Regius Propheta ce-
Pſalm.118. cinit : Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua & ſuper mel

mel ori meo. Atque ob id ad dominum Hieremias Propheta clamat: Inuenti ſunt ſermones tui: Anxia intelligi *Hiere. ca. 15* debet perquirendæ diuinæ ueritatis ſolicitudine, frequenti oratione,& in lege Dei meditatione. Comedi eos:ſubiungit Hieremias. Atque ut edantur, maſticatione primùm opus eſt. Deinde uerò charitatis igne decoqui illos oportet: ac tandem ſedulo ſcrutinio, non ſuperficiali lectione digerendi ſunt,ut in ſpiritale conuertantur alimentum. Tumq; uerum agnoſcitur quod idem Hieremias ſubnectit. Et factum eſt uerbum tuum mihi in gaudium, & in lætitiam cordis mei. Nempe ex benè, probeq; concoctis ſanctarum ſcripturarum ſermonibus, & in ſpiritus alimoniam uerſis, gaudium & lætitia ſuboriuntur, proditq; inde lac paruulorum,humilium ſcilicet fidelium enutritiuum: & mel animalis in labem propenſionis & procliuitatis expurgatiuum deſumitur. Quo fit,ut lac hoc ſacrarum literarum nemo uerè neq; rectè deſumere poſsit, niſi ab uberibus omnium fidelium Matris ſacroſanctæ Catholicæ eccleſiæ: illa nempe, quæ CHRISTI amantiſsimi ſponſi præſentia,ſanctiq; ſpiritus inſpiratione ſemper ducitur & dirigitur, uerum ſacrarum ſcripturarum lac benè prius maſticatum, coctum, ac digeſtum, ſanctis ſuis uberibus,quo omnes ſuos ueros,ac pios filios enutriat, diligenter cuſtodit: ut maximè cæcutire, & allucinari uideri poſsint pſeudoeuangelici nebulones, qui ſacroſanctum diuini ſermonis lac aliunde, quàm ab illius uberibus ſeſe ſugere poſſe arbitrantur.Sed & ipſum ſacræ ſcripturæ mel interioris hominis expurgatiuum, niſi ex ſanctæ matris adminiſtrorum Chriſtiani gregis ducum aromatoria officina haudquaquam deſumi poteſt. Atque ita ſi melle hoc expurgari, lacteq; educari uoluerimus, ad ſa-

croſanctæ catholicæ eccleſiæ ueræ fidelium omnium matris gremium & ubera, ſacrorumq; illius doctorum odoriferam pœnam recurrere oportet. Cui rectè attemperari poteſt illud Canticorum IIII. Mel & lac ſub lingua tua. Et qui ſecus agunt, tantum abeſt ut diuinarum lac ſcripturarum deſumant, ut potius animale & ferinum inde haurire cenſeri debeant: quo nequaquam enutriantur ſed potius humanæ præſumptæ nouitatis ſtudio inflati tumeſcant. Et demum ſeu uero ſpiritali deficientes alimento, adulterino educati, in intranei hominis tabem pœnitus decidant, minusq; diuini melle ſermonis expurgari poſsint. Illud nempe candidum ex ſacro eccleſiaſticæ doctrinę armariolo ac repoſitorio deſumere minimè curant, ſed nec quidem uolunt, imò omnino contemnunt: uerùm ex ueneficis pſeudoeuangelicis lacunis peruerſo Satanæ commento uenenatum profectò mel pro uero & ſyncero excerpunt: quo infecti tandem tabeſcunt. Quorum tametſi furia ſpiritalisq; phrenesis nullis eccleſiaſticis antidotis, ſed nec quidem fortiſsimo elleboro curari aut ſanari poſſe uideatur, quòd hi à domino derelicti, ſpiritu ſuperbiæ pertinaces effecti, in ſui maximam perniciem à ſemetipſis (ut Apoſtolus ait) damnati præiudicatiq; cenſeantur: pios tamen ac fideles Chriſtianos, nondum hæretica infectos labe, aut ſi fortaſſe ea polluti fuerint, non tamen obſtinati, à tanti contagio mali eripere, atque eos qui forte eius infecti lactis aut uenenati mellis uel quiddam hauſerint, haudquaquam tamen in errore pertinaces, in catholicam tandem benigniſsimi ſaluatoris ope reducere gregem è Chriſtiani officio ducendum eſt: atque ut facilè hi redire poſsint, ſanctarum eccleſiæ præceptionum, quas mobiles uocant, uerum cultum ac obſeruationem

Ad Titum cap. 3.

nem conducibiliorem illis & expeditiorem uiam eſſe arbitratus ſum. Inde enim, ſi eas amplectantur, ac pio mentis deſiderio adimpleant & exequantur, maximum eis aderit auxilium, ut haud difficilè eccleſiaſticorum mandatorum obſeruatione carne compreſſa ipſorum mens in Deum eleuetur, ac conſectaneè adoptionis filiorum ſpiritum recipientes in perfectæ Chriſtianæ libertatis legem *Iac. ca. 1. et 2.*
introducantur: & eccleſiaſticorum melle præceptorum expurgati, ſuauiſsimum tandem ſacrarum ſcripturarum lac ab uberibus ſacroſanctæ ueræ omnium matris catholicæ eccleſiæ, quinimo & ſolidum cibum (ut Paulus ait) *Ad Hebræ. cap. 5.*
quo ſpiritaliter educentur deſumant, ad domini noſtri IESV CHRISTI amantiſſimi illius ſponſi laudem & gloriam.

AMEN.

LIBEL

LIBELLVS PRIMVS.

Adducuntur ex utroque inſtrumento teſtimonia, quibus approbari pſeudoeuangeliſtæ contendere poſſent, eccleſiæ adminiſtris minimè licuiſſe, diuinis mandatis nouas adÿcere mobiles præceptiones.

APPROBATIS utcunq; alio à nobis benigniſsimi ſaluatoris ope edito libello eccleſiæ definitionibus, decretis, & præiudicijs, ad uenerandas illius præceptiones ſermonem conuertere operęprecium duximus: quas impudenti ore pſeudoeuangeliſtę peſſundant, & longè amoliuntur: eaſipſas hominum mandata, traditiones, & adinuentiones aſſerentes: eo (quantum coniectura aſſequi ualeo) rati omnem Chriſtianę religionis diſciplinam, quæ hiſipſis non mediocriter ſuſtinetur, dirigitur, & conſeruatur, illis extruſis uel facilè exulare poſſe: ac inde affectatæ uiuendi licentiæ, quam Chriſtianæ nomine libertatis adumbrant, haud difficilè uiam aperiant. Horum proinde in ea re retundere temeritatem non parum bene affectorum Chriſtianorum ſpiritali conducere quieti arbitratus ſum. Sed ne uideamur illos inermes adoriri, eamq; ob rem parta eccleſiæ uictoria minus fortaſſe glorioſa appareat, uel ab illis inficias iri poſsit, uiam ferro agemus per argumenta, tranſeundo etiam quædam, fortaſſe ea, præter quæ à pſeudoeuangeliſtis

adduc

adducuntur, pro illorum citando ſententia: in primis eccleſiaſticis præceptionibus, quas mobiles ſacri doctores uocitant, aduerſari planè uideri poſſent, quæcunque pro firmanda pręcipua pſeudoeuangeliſtarum baſe alio libro adduximus. Quibus uel cuique manifeſtum eſſe uidetur, Dei pręcepta & mandata ſola colenda & obſeruanda eſſe, uelut quæ ſalutem tribuant, & omiſſa mortem ingerant: fruſtraq; timeri uidetur Deus (ut Eſaias Propheta ait) *Eſa.cap.29.* mandato hominum ac doctrinis, ac ſine cauſa, ut in euangelio Eſaiam recenſens, & Iudæorum ſeniorum traditiones *Matt.ca.15.* improbans, pijſsimus redemptor inquit, Deum colunt, mandata & doctrinas hominum docentes. Quamobrem in Deuteronomio non parum ad hanc rem appoſite dominus ait: *Deut.ca.18.* Propheta autem qui arrogantia deprauatus uoluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, interficietur, Eademq; ratione Moſes ipſe ad filios *Num.ca.16.* Iſraël ait: In hoc ſcietis, quòd dominus miſerit me, ut facerem uniuerſa quæ cernitis, & non ex proprio corde ea protulerim. Et Hieremias: Viſionem cordis ſui loquuntur, *Hiere.ca.23.* non de ore domini. Hinc idem Propheta in ſuis Lamentationibus *Treno.3.* in eam ſententiam appoſitè infit, Quis eſt iſte, qui dixit, ut fieret, domino non iubente: quaſi prophetico cenſeat ore, nihil pręcipiendum eſſe, ut fiat, niſi dominus iubeat. Sed & in nouo teſtamento clarius id probari uidetur, nempe eccleſiæ præfectos Chriſti imitatores eſſe decet, unde Paulus: Eſtote imitatores mei, ſicut & ego *1.ad Corinthios cap.4. & cap.11.* Chriſti. Et rurſus idem Paulus ad Epheſios: Eſtote imitatores Chriſti. Chriſtus autem apud Ioannem in Euangelio *Ioan.cap.3.* ait: Non poteſt filius à ſeipſo facere quicquam. Et iterum: Ego à meipſo non ſum locutus: ſed qui miſit me *Ioan.cap.5.* pater, ipſe dedit mandatum, quid dicam, & quid loquar.

Et ſcio quia mandatum eius uita ęterna eſt, quæ ego loquor ſicut dixit mihi Pater,ita & loquor. Si igitur Chriſtus hæc ſe loqui mandata aſſerat,quæ à patre accepit: & ſeſe (uelut hominem intelligi debet) à ſeipſo nihil poſſe facere ait: eccleſiæ adminiſtros ea ſolum decet prędicare dogmata & mandata,quæ à Chriſto acceperunt. Nempe ad Apoſtolos & diſcipulos,ſucceſſores præſignantes,apud Ioannem Chriſtus ait: Sicut miſit me pater, ita & ego mitto uos.Et rurſum illos Chriſtus apud Matthæum mittens monet,Euntes ergo docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quęcunque mandauero uobis. Chriſti igitur inſtitutionem Chriſtianum ductantes gregem inſequi oportet,ea ſcilicet docere,quæ ab illo mandata ſunt, uel ab eius Apoſtolis ſpiritu Dei plenis: hi enim id nobis tradiderunt, quod ab ipſo acceperunt, ut Paulus ad Corinthios ait, Quod accepi à domino, hæc & tradidi uobis. Ob quòd idem Paulus ad Corinthios ſcribit: Si quis uidetur Propheta eſſe,aut ſpiritualis, agnoſcat quæ ſcribo uobis, quia domini ſunt mandata. Ne Corinthij Pauli admonitiones,& præceptiones humanas putantes,eaſipſas contemnerent eas domini eſſe mandata Paulus aſtruit.Et ob id idem de uirginibus ait: Præceptum non habeo, conſilium autem do: non audens (ut ſacra innuere litera uidetur) quæ à Deo præcepta non erant, pręcipere. Propter quòd diuus Petrus ait: Si quis loquitur,tanquam ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex uirtute quam ſubminiſtrat Deus,ut in omnibus honorificetur Deus. Et rurſum idem,& magis appoſitè: Vt memores ſitis eorum quæ prędixi uerborum à ſanctis Prophetis & Apoſtolorum ueſtrorum pręceptorum domini & ſaluatoris. Et diuus

Matt.ca.ul.

1. ad Corint. cap.11.

1.ad Corint. cap.14.

1.ad Corint. cap.7.

1.Petr.ca.4.

2. Pet.cap.3.

uus Ioannes, Hæc eſt enim charitas Dei,ut mandata eius cuſtodiamus,& mandata eius grauia non ſunt. Et iterum idem: Et omnis qui recedit,& non permanet in doctrina Chriſti,Deum non habet: qui permanet in doctrina,patrem & filium habet.Si quis uenit ad uos,& hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, nec aue ei dixeritis. Et mille ſimilia in hanc partem adduci poſſent. Propterea magnus ille Baſilius hęc præcepta, præter ea quæ ſacris ſcripta canonibus ſunt, ſuperaddita planè improbare uidetur, inquiens: quòd mandatis Chriſti uelut radijs illuminamur, mandatum autem domini lucidum ſubiungens,quia ergo in omnibus negotijs quæ inter nos uerſantur,uel uerbis quędam quidem per mandatum Dei in diuinis ſcripturis diſtinguuntur, quædam uerò reticentur. De his quidem quæ ſcripta ſunt, nulla prorſus licentia permittitur cuiquam, uel admittere quod prohibitum eſt,uel omittere quod pręceptum eſt, quum ipſe dominus ita præceperit, dicens: Et cuſtodi uerbum hoc, quòd ego tibi mando hodie: non adijcies ad illud,neque auferes ab eo. Sed & terribilis quædam expectatio iudicij & ignis zeli qui conſumpturus eſt aduerſarios,& eos,qui auſi ſunt tale aliquid operari. De his uerò quæ ſcriptura reticuit, regulam nobis Apoſtolus poſuit,dicens euidenter,Omnia licent, ſed non omnia ædificant: omnia licent, ſed non omnia expediunt. Eamq; ob rem rurſus idem ait,(de eo qui præeſt loquens:) Apud Deum quidem ſicut miniſter Chriſti,& diſpenſator miniſteriorum Dei:timens,ne pręter uoluntatem Dei, uel præter quòd in ſcripturis ſanctis euidenter præcipitur, uel dicat aliquid, uel imperet, & inueniatur tanquam falſus teſtis, uel ſacrilegus uel introducens aliquid alienum in doctrina Dei: uel certè ſubrelin-

1. Ioan. cap. 5.

2. Io. ca. unico.

Baſilius de inſtitu. Monacha. ca. 13.

Baſilius de inſtitu. Monacha. ca. 16.

quens uel prȩteriens aliquid eorum, quæ Deo placita ſunt. Hæc Baſilius. Haſq; eccleſiæ præceptiones ſpiritu præuidens Apoſtolus futuris temporibus in Dei eccleſiam cauteriatarum miniſterio conſcientiarum introductum iri, præiudicaſſe uidetur, Timotheum monens, hæc præcipere, & docere. Et complura alia pro ea firmanda ſententia adduci forte poſſent, quæ, ne pluſquam par ſit ueritatis adulteratoribus forte contradictionis anſam prȩbere uideamur, miſſa facere boni conſuluimus.

1. ad Timot. cap. 4.

Eccleſiæ duces & paſtores mobiles ad facilius diuina ſuſtinenda exequendaq; mandata præceptiones Chriſtianiſmo adiungere potuiſſe ueteris Teſtamenti clariſſimis canonibus comprobatur.

VErùm qui hiſce, alijſq; à pſeudoeuangeliſtis adductis rationibus innixi, eccleſiaſticas cōtemnunt prȩceptiones, è numero eorum rectè cenſeri poſſunt, quos regius Propheta præſcripſit, Oculos habent & non uidebunt: & in Euangelio, Vt uidentes uideant, & audientes audiant, & non intelligant. Præceptiones ſiquidem eccleſiaſticas, quas mobiles uocant, uelut pro diuinis ſuſtinendis mandatis admodum conducibiles ſaluberrimoq; æditas conſilio, pio ac deuoto mentis affectu coli, obſeruariq; debere, utriuſque inſtrumenti teſtimonijs, & rationibus quàm luculentiſsimè cuique approbari poteſt. Nempe ut à naturæ lege exordiar, cuius tempore diuina uel naturalia mandata à Deo ipſo nondum explicite annunciata, uel literis tradita erant: ſed demum per Moſem prioris adminiſtrum legis duabus Dei digito ſcriptis tabulis expreſſa Iſraëlitico populo exhibentur: ſummus omnium creator ab æterno præſciens ea fidelem ſeruū ſuum Abraham

Pſalmo 113. Matt. cap. 4.

ham ſuis poſteris præcepturum, quibus hi in diuinum adigerentur obſequium, autoramento quodam deuoti mandata adminiſtri præuenit ac eximia illius commendatione prę mijq; ampla pollicitatione manifeſtè approbat, inquiens: Num cælare potero Abraham quæ geſturus ſum? quum futurus ſit in gentem magnam, &c. Et paulò pòſt ſubiungit: Scio enim quòd præcepturus ſit filijs ſuis,& domui ſuæ pòſt ſe,ut cuſtodiant uiam domini, & faciant iudicium & iuſtitiam, ut adducat dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum. Non hæc profectò præceptum iri ſacer prænunciat textus diuina iuſsione, ſpecialíue reuelatione, aut prophetico munere, ut inde ea mandata nudo Abrahæ adminiſterio à Deo ipſo immediate prodire cenſeantur. Sed hæc ipſa germano legis naturæ lumine, non uelatæ hominis conſcientiæ affulgenti quo ſibi is (ut Apoſtolus ait) lex erat, legis opus ſcriptum in corde ſuo oſtendens, Abraham præcepturus erat ut ſuæ familię poſteritas inde Deum reuereretur & coleret. Vnde manifeſtè confici poteſt, piorum beneq; affectorum ad Dei cultum & reuerentiam eccleſiæ paſtorum præceptiones ac mandata,quę pro Chriſtiani gregis directione emanarunt, ut facilius is Dei legem ſuſtineret, atque in eius ampliorem & cultum & reuerentiam diſponeretur, & ſi non prophetico munere,uel ſpeciali reuelatione, ſed communi ſancti ſpiritus eccleſiæ rectoris auxilio prodierint, non ſecus ac ſupernæ autoramento prębnotionis approbata ueneranda deuotaq; mente adimplenda eſſe. Enimuero ſi quæ naturæ lumine legis Abraham præcepturus erat (quemadmodum pręfati ſumus) laudantur, & commendantur à diuina præſcientia: non minus, ſed multo magis quæ flagrante ſaluatoris di-

Geneſ.c.4.18.

rectionis zelo, promiſsi inſpiratione paracleti, ab eccleſiæ adminiſtris dantur præcepta,ut carnis depreſsis ponderibus, in Deum mens eleuetur, diuinitus approbata cenſeri debent, Iſtuc ipſum & in ſcripta lege non minus clarè aſſeritur, Nam in Deuteronomio Moſes Dei adminiſter iubet populum Iſraëliticum facere quodcunque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit dominus, & docuerint iuxta legem eius, &c. Iuxta legem dixit, Si enim contra legem Dei eccleſiæ adminiſtri aliquid præciperent, minimè illorum dicto audiendum eſſet: ſed dum præcipiunt iuxta legem, quodcunque præceperint obſeruandum eſt. Nec Moſes tum præceptionem hanc ad Dei mandata reſtrinxit,quum dixerit, Quodcunque,uniuerſaliter: quodcunque ſacerdotis præceptum (modò iuxta legem ſit,non contra) obſeruari debere cenſuit. Et rurſum idem Moſes in Exodo Ietro humano conſilio ea ſtatuit in populo, & ordinat, nouos uidelicet ſui adminiſterij coadiutores, iudices deligens,quę illi à Deo ipſo expreſsim minimè mandata præceptáue erant: hocq; illi conſulens Ietro ait: Sed audi uerba mea, & conſilia, & erit dominus tecum. Hominis conſilium erat, Dei tamen: ſi Moſes illud exequatur, pollicetur auxilium: hincq; Ietro præcepta & mandata Dei longè facilius impleri, ſuſtineriq; poſſe promittit: Si hoc feceris, inquiens, implebis imperium domini, & præcepta eius poteris ſuſtentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca ſua cum pace. Et ſequitur: Quibus auditis Moſes fecit illa omnia,quę ille ſuggeſſerat. Sequitur igitur Moſes etiam humani intellectus prudens conſilium ad facilius diuina implenda ſuſtinendaq; mandata conducens, & quæ Ietro conſulit ex integro exequitur. Non debet proinde Chriſtianus populus hominis Dei zelo accenſi

Deut. ca.17.

Exod.ca.18.

cenſi præceptiones ſpiritusſancti eccleſiæ rectoris communi auxilio (ut credi debet) emanantes, ut diuina facilius & ſuſtineantur & adimpleantur mandata, peſſum dare: ſed cum Moſe omnia reuerenter exequi, quæ ad Deum dirigunt, & quibus facilius eius præcepta obſeruantur & cuſtodiuntur. Quid aliud profectò iubent, uel ſanciunt eccleſiæ pręceptiones? niſi ut diſponantur fideles in Chriſti obſequium, & depreſsis per ieiunia, orationes, obſecrationes, propẽſioremq; Dei cultum, carnis operibus, libero ſpiritu, qualem exigit Chriſtiana profeſsio, mandata Dei ſuſtineamus, & impleamus? Non ſunt igitur repellenda hæc præcepta, quia non immediate à Deo prodierunt: ſed pio mentis affectu cum Moſe amplectenda & exequenda. Sed age, Num in ueteri teſtamento pleraque ab hagiographis à Prophetis etiam hominum ſcribuntur præcepta, quæ mirum in modum laudantur, & approbantur? Præcipit nempè & complura Tobias, optimus ille pater, filio ſuo, quæ ſecundum Deum ſunt, non tamen expreſsim in Pentateuco legis diuinæ libro continentur. Sed quia iuxta, & non contra legem, in Deiq; obſequium magis adigunt, laudantur, & approbantur: ac deuotus filius ad pręcipientem patrem ait: Omnia quæcunque præcepiſti mihi, faciam pater: meretur obediens, & deuotus filius Dei benedictionem, & ut Angelum Raphaëlem ductorem & directorem habeat, quòd paternis præceptis obediens fuerit, in quibus (ut præfati ſumus) & pleraq; erant, quæ ſcriptæ ſchemate legis expreſsim non continebantur. Deniq; apud Hieremiam obedientia familiæ Ionadab mirum in modum à domino laudatur, quàm dominus benedictione & pręmijs proſequitur: Pro eo, inquit, quòd obediſtis præceptis Ionadab patris ueſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata

Tob. cap. 4.

Tob. cap. 5.

Hiere. ca. 35.

data eius,& feciſtis uniuerſa quæ præcepit uobis, propterea hæc dicit dominus exercituum Deus Iſraël, non deficiet uir de ſtirpe Ionadab filij Rachab, ſtans cunctis diebus in conſpectu meo. Iuſſerat autem Ionadab,ne uinum in ſempiternum biberent, domum non ædificarent, ſementem non ſererent, & uineas non plantarent: hincq; progreſſa ab Lyrenſi Nicolao Mendicantium regula dicitur. Approbantur proinde à diuina bonitate parentum præcepta, & filij illa obſeruantes perpetuò benedicuntur, quæ tamen à Deo ipſo immediate minimè prodierant.
Iona cap.3. A principe Niniuitarum apud Ionam fit præceptum, ut non ſolum homines,ſed etiam iumenta non guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant, & iumenta canant ad Dominum in fortitudine,&c.& ſequitur:Et uidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de uia ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitiam quàm locutus fuerat, ut faceret eis,& non fecit. Ecce præceptum hominis ad humiliationem, carniſq; depreſsionem, indeq; in Deum mentis eleuationem datum: quod obſeruatum comminatæ ſententiam uindictæ flectit: neque hæc ipſa expreſſis Dei mandatis continebantur. Sed quot quæſo hagiographus ille Salomon in Prouerbijs & libro Sapientiæ, qui omnium calculo de canone ſacro ſunt, admonet & præcipit, quæ in Pentateuco diuinæ legis libro nuſquam ſcripta comperiuntur? Hiſce uel cuique manifeſtum fit, & ſi Moſes in antiqua lege in Deuteronomio dixerit,
Deute.ca.4. Non addetis ad uerbum quod uobis loquor, nec auferetis
Deut.ca.13. ex eo. Et rurſum:Hoc tantum facito domino,nec addas quicquam,uel minuas: non hinc extruſas cenſeri pręceptiones eorum, qui populo uel familiæ præerant, quæ ad Dei mandata facilius cuſtodienda, & ſuſtinenda con-

duceb

ducebant, eaq; uerba Moſis ad ſubditos non ad præpoſitos referenda eſſe.

Noui inſtrumenti teſtimonijs data ab eccleſia adminiſtris mobilia mandata, etiam præter ea quæ ſacro ſcripto canone continentur, obſeruanda reuerendaq; eſſe, quàm luculentiſſime demonſtratur.

ATqui nouo Teſtamento eccleſiaſticarum præceptionum approbatio & clarior, & facilior uidetur. Quot quæſo in epiſtola ad Timotheum Paulus non contenta in euangelio obſeruanda proponit, hortatur, & monet, quæ iubet Timotheum præcipere & docere? Præcipe (inquit) hęc, & doce. Fuit Paulus naſcentis eccleſię adminiſter, ſpiritus primitias cum cæteris Apoſtolis habens, ut ipſe ad Romanos ait, Cuius proin progreſſum continuum in omnes eiuſdem adminiſterij ſucceſſores hiſce uerbis deſignabat. Et rurſum idem Paulus ad Epheſios ſcribens, iubet filios parentibus obedire. Et in epiſtola ad Coloſſenſes adijcit, Per omnia. Quæ (ſi ſacris doctoribus credamus, & Hugo à ſancto Victore cæteris luculentius explicat) non ſolùm de carnalibus parentibus, ſed longè magis de ſpiritualibus dicta fuiſſe intelligere debemus. Nec iniuria. Quandoquidem qui Apoſtolico munere funguntur, quales epiſcopi ſunt, parentes Paulus ad Corinthios ſcribens uocat. Et alibi idem Paulus, per euangelium ſe filios genuiſſe ait. Diuus quoq; Athanaſius ſuper hiſce uerbis Apoſtoli, ad Timotheum, Obſecro igitur primo omnium fieri obſecrationes, &c. dicit ſacerdotem tanquam communem orbis terrarum parentem ſancto altari adſtare, omnibus proſpecturum: Dei ad inſtar, cui eſt dedicatus. Præpoſitis igitur eccleſiaſticis ſeu ſpiritali-

1. ad Timot. cap. 4. cum præceden.

Ad Roma. cap. 8.

Ad Epheſ. cap. 6.

Ad Coloſſ. cap. 3.

Hugo à ſancto Victore lib. 12 de ſacramẽ. ca. 2. ſuorũ operũ parte tertia.

2. ad Corint. cap. 12.

1. ad Corint. cap. 4.

bus parentibus, ex diuino primæ & ſecundæ tabulæ præcepto obedire tenemur. Hinc idem Apoſtolus Titum inſtruit, fideles monere principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, & dicto obedire quod de poteſtatibus eccleſiaſticis magis, quàm de ſecularibus intelligitur: & ſubiungit Apoſtolus, ad omne opus bonum paratos eſſe. Si enim (ut ibi Athanaſius inquit) aliquid ſuperiores præciperent quod ad impietatem, uel eiuſmodi aliqua quæ officiunt animæ, exequenda pertineret, minimè illis auſcultandum eſſet. Et rurſum idem Apoſtolus ad Hebræos magis appoſitè ad hanc rem ait: Obedite præpoſitis ueſtris. Hoc (inquit ibi Athanaſius) loco de epiſcopis diſſerit. Nam cùm prius eos ſic inquiens collaudaſſet fideles, & dignos, quos imitentur, & eis ut uitæ magiſtris intenderent, Obedite, adiecit. Num igitur (ſubiungit Athanaſius) erit omni principi obtemperandum? Ita quidem, uel ſi nequior ſit, & improbus: modò ne fidem obturbet, uel hanc ut deſeras cogat. In cæteris uerò (ecce admiratione dignum uerbum) nequitiam exercenti parendum cenſuerim: ait nanque CHRISTVS, Quæcunque dixerint uobis, ut faciatis, facite: ſecundum autem illorum opera nolite facere. Sic ille. Eam ob rem Paulus Apoſtolus ubique parentibus ſpiritalibus & præpoſitis in omnibus obediendum eſſe clamat: neque eam obedientiam ad diuinæ legis mandata reſtrinxit. Illos idcirco pluſquam in euangelio ſcripta præcipere poſſe declarat. Cæterùm pro irrefragabili præiudicio primitiuę eccleſiæ uel protritum Apoſtolorum ſcilicet & ſeniorum qui tum in Hieruſalem erant, decretum adducere lubet, apud Lucam in Apoſtolorum Actis: ubi Apoſtoli, & ſeniores naſcentem eccleſiam referentes, ad fratres qui erant Antiochiæ ſcribunt, inquientes: Viſum

Ad Titum cap. 3.

Ad Hebræ. cap. 13.

Act. cap. 15. & cap. 20.

ſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis, nihil ultra uobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato. Ecce nouam naſcentis eccleſiæ præceptionem mobilem, quæ ad benè beateq; uiuendum in Chriſtiana lege diſponebat ſalutisq; uiam facilius inueniendam, inuentamq; cuſtodiendam ſolum pro eo tempore. Conducebat ciborum quorundam haudquaquam euangelica lege prohibitorum abſtinentiam ac neceſſariam ſancire: immolatorum ſcilicet, quibus ritu gentilicio ex gentibus ad fidem conuerſi antea uesci conſueuerant: & ſi cibus is euangelica lege nec malus, nec illicitus eſſet: quippe, ut Apoſtolus ait, Omnia munda mundis. Ne tamen illo ueſcendo exutæ per Chriſti fidem gentilitatis memoriam referrent, hincq; Iudæis ſuſpicio ſuboriri poſſet, gentiles Chriſtianos effectos à profeſſa decedere fide, hæc illis abſtinentia ceu neceſſaria præcipitur. Denique, ſanguinis & ſuffocati uſus, quanquam etiam ſecundum euangelicam legem haud illicitus, tamē pro tempore mobili quam neceſſariam Apoſtoli & ſeniores aſſerunt, præceptione prohibetur quòd Iudæi eo ueſci cibo minimè aſſueti, ſi gentiles ad fidem de nouo conuerſos uti eo uidiſſent, quem natura ipſi abhorrebant, inde faſtidium ad nauſeam uſque contrahentes, ab aliorum Chriſti fidelium conuictu retraherētur ac ſeiungerentur. Quocirca ut Chriſtianæ unitatis uinculum obſeruaretur, & retineretur, præceptio hæc ad id conducens, in eccleſia primitiua neceſſaria iudicatur. Non diſpari profectò, ſed longè maiori ratione, progrediente tempore potuere poſteriores Apoſtolici officij ſucceſſores & adminiſtri, & ciborum alioqui naturali ac euangelica lege permiſſorum interdum prohibere & interdicere uſum, ad hunc ſcilicet

 ſcopum,

ſcopum, ut carne laſciuiente ſalubri depreſſa abſtinentia mens in Deum eleuetur,ſicq; cum Deo unionis nexus ſeruetur,ut ſtatim latius proſequemur. In ſuis nempe adminiſtris relata eccleſia nec tum maioris,quàm nunc ſit, autoritatis erat. Quandoquidem illius autoritas à Chriſto præſente,& paracleto eam dirigente,pendeat quę euangelicis uerbis,non ſolùm pro naſcentis eccleſiæ tempore,ſed ad ſeculi conſummationem uſque manifeſtè promittuntur. *Matth. cap. ultimo.* Apud Matthæum enim Chriſtus ait: Ecce enim uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. *Ioan. cap. 14.* Et iterum apud Ioannem: Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiſcum inæternum. *Citat Grat. in cap. cum in præterito. 84. diſtin.* Et ut diuus Auguſtinus,quem in præcedentibus citauimus, ait: Quod Apoſtoli docuerunt exemplo, poſteriores eccleſiæ adminiſtri ſequi & potuerunt & debuerunt.

Diluitur obiectio quædam pſeudoeuangeliſtarum & diuinis mandatis Apoſtolos ſuis canonibus pleraque adieciſſe decreta in candidiſſimo naſcentis eccleſiæ ſtatu oſtenditur. Indeq; conficitur, poſterioris eccleſiæ adminiſtros præcepta quædam mobilia adiungere potuiſſe.

NEc putent pſeudoeuangeliſtæ decretum id Apoſtolorum eorum aſtipulari ſententiæ, dum inquiunt, Nil ultra uobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria. Quibus uerbis nimium multiplicatas eccleſiæ præceptiones,ceu admodum onerosas naſcentis eccleſiæ adminiſtri præiudicaſſe uiderentur. Nam & ſi tum orientis Chriſtianæ eccleſiæ fideles feruido charitatis æſtu,ſuopteq; ingenio in uia Dei progredientes,nec multis egere uiderentur præceptionibus, queis in Dei cultum propenſiores diſpon

diſponerentur, & dirigerentur, ſuperuacaneumq; uideri poſſet ſponte currentibus calcaria adijci. Nihilo tamen ſecius eccleſiaſticæ militiæ duces quòd humanam in uitia procliuem naturam agnoſcerent, alteramq; in membris legi mentis repugnantem, quæ ſpiritum infeſtet, legem ſentirent, ſalubre aduerſum hoc malum, quo deturbari fideles poſſent, ne diuina obſeruarent mandata, adhibere pharmacum boni conſuluerunt, ac pleraſque tum edidere præceptiones mobiles, quibus ſalutis uia facilius inueniri, inuentaq; cuſtodiri poſſet. Hoc autem Lucas in Apoſtolorum Actis aſtruere uidetur, dum ait: Paulum perambulantem Syriam & Siciliã confirmantem eccleſias præcepiſſe cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum. Et rurſum: Quum autem pertranſirent ciuitates tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis. Complura proinde naſcentis eccleſiæ mobilia decreta fuiſſe Lucas commemorat, unde extant Apoſtolorum præceptiones, quas Canones uocant, quos licet quidam apocriphos aſſerere ſatagant, ſexta tamen ſynodus ait: Placuit huic ſanctæ ſynodo, ut amodo confirmata & rata ſint canonum Apoſtolorum octoginta capitula. Et Zepherinus eccleſiæ uertex epiſcopis per Siciliam conſtitutis ſcribens, Sexaginta (inquit) Apoſtoli ſententias pręſcripſerunt, cũ alijs quamplurimis epiſcopis, & ſeruandas cenſuerunt. Et Leo nonus contra epiſtolam Nicetæ Abbatis ait: Ex canonibus Apoſtolorum, quos apocriphos uocant, quinquaginta excipiuntur capitula, quæ ſancti patres decreuerunt regulis orthodoxis adiungenda. De his etiam diuus Iſidorus infit: Canones qui dicuntur Apoſtolorum, cæteris concilijs præpoſuimus, licet à quibuſdam apocriphi dicantur: quoniam

Act. cap. 15.

Act. cap. 16.

Yuo Carnotenſ. in ſua decret. compila. citat eã ſextã ſynod. in 2. cap.

Idem Yuo Carnotenſ.

Iſidor. in præfatio. lib. cano. concilio.

niam populares eos receperunt,& ſancti patres eorumſen tentias ſynodali autoritate roborauerunt,& inter canonicas poſuerunt conſtitutiones. Eam ob rem & optimo iure eos Apoſtolorum canones è nouo cenſeri inſtrumento aſſerit Damaſcenus. Quippe, ut diuus Hieronymus ait, poſterior eccleſiæ uſus quædam uelut è noui Teſtamenti canone approbauit, quæ uetuſtas ceu apocripha admittere dubitabat. Idemq; diuus Auguſtinus affirmat. Eam ob rem quum Apoſtolorum canones per eccleſiam ipſam in uniuerſali concilio relatam, ac eius ſupremos uertices, Chriſtianiq; populi uſum approbati ſint, hinc ex ſententia diuorum Hieronymi & Auguſtini canonicam deſumpſere autoritatem,manetq; in ea re Damaſceni firmata ſententia. Quibus conſequens eſt, quum Apoſtoli naſcentis eccleſiæ primordijs pro morum repurgamento diſciplina eccleſiaſtica conſtituenda ac munienda ſalutisq; uia facilius præparanda atque diuinis abſque periculo lenius obſeruandis & ſuſtinendis mandatis, tot canones, & conſtitutiones, his qui ſuapte natura charitate feruebant, dederint,& tradiderint, nimium impudenter ac blaſphemè pſeudoeuangeliſtas præceptionum eccleſiaſticarũ cumulationem poſteriore eccleſiæ ſtatu improbare, eo nanque maior penè fidelium pars è priſtino candore longè deſilijt, ineffrænisq; effecta caro fortiori eccleſiaſticæ diſciplinæ fræno egere cœpit.

Damaſcen. lib.4.

Hierony in catalo.eccleſiaſcripto.de diuorũ Apoſtolo. Iaco. et Iudæ epiſtol.

Aug. lib.2. de doct.Chriſtia. et lib.2. retracta.

Sanctorum eccleſiæ doctorũ ab oriente Chriſtiana eccleſia ad noſtra uſq; tempora præclaris ſentẽtijs & cenſuris ſuperadditæ eccleſiæ mobiles præceptiones confirmantur.

PORrò utriuſque inſtrumenti ad eccleſiaſticarum approbationem præceptionũ adductis teſtimonijs mul-

torum

torum à naſcente eccleſia uſque ad noſtra tempora ſanctorum epiſcoporum, eorundemq; doctiſsimorum uirorum, qui uelut quædam luminaria in eccleſia ſplenduerunt,placet adiungere ſententias: quibus palam erit,pſeudoeuangeliſtas nimium impudenter ac procaciter tot ſanctorum doctorum obuiam ire cenſuris. Imprimis diuus Ignatius Apoſtolorum diſcipulus ad Trallianos ſcribens ait:Neceſſarium eſt enim uos nihil præter epiſcopum facere,neque aliquid agere. Sed & presbyteris ſubditi eſtote,ſicut Apoſtolis IESV CHRISTI ſpei noſtræ, in quo perſeuerantes in ipſo inueniamur. Oportet etiam & diaconis, qui ſunt in miniſterio IESV CHRISTI, omni modo placere. Et ſubiungit, de epiſcopo, presbyteris, & diaconis loquens, Non enim in cibo & potu ſunt miniſtri,ſed miniſterij eccleſiæ Dei. Oportet ergo eorum præcepta obſeruare ſicut ignem ardentem. Ipſi uerò ſint tales: uos autem reueremini eos,tanquam Dominum IESVM CHRISTVM, quoniam cuſtodes ſunt loci eius. Et idem in epiſtola ad Epheſios: Vnde & uos decet, inquit, diſpoſitionem paſtorum ſequi, qui ſecundum Deum uos paſcunt. Si enim contra Deum præciperent,tum illis minimè auſcultandum foret. Eiuſdem planè ſententiæ pòſt diuum Ignatium fuit ſanctus doctiſsimusq; Ireneus:Quapropter, inquiens, eis qui in eccleſia ſunt presbyteris obedire oportet. Poſſunt & illi conſectanee præcipere ferme circa eadem tempora. Iſtuc ipſum doctiſsimus Tertullianus firmauit, naſcentis ſiquidem eccleſiæ conuentus, & quid in illis ageretur, recenſens ait, Coimus in cœtum & aggregationem, ut ad Deum precationibus accedamus orantes. Et paulò pòſt ſubiungit appoſitè ad rem ipſam, Conuenimus ad literarum diuinarum commemorationem,

Ignatius in epiſtola ad Trallianos.

Ignatius in epiſtola ad Epheſ.

Irene. lib. 4. cõtra omnes hæreſ. ca. 43.

Tertullia. in apolog. quã edidit aduerſ. Geneſ. cap. 30.

nem, ſi quid præſentium temporum qualitas præmonere cogit aut recognoſcere. Certè fidem ſanctis uocibus paſcimus,ſpem erigimus,fiduciam figimus,diſciplinam pręceptorum nihilominus inculcationibus denſamus.Ibidem etiam exhortationes,caſtigationes,& cenſura diuina:nam & iudicatur magno cum pondere,ut apud cæteros de Dei conſpectu, ſummumq́; de die futuri iudicij præiudicium eſt. Si quis ita deliquerit,ut à communicatione orationis, & conuentus,& omnis ſancti commercij relegetur, præſident probati quique ſeniores,&c. Quibus manifeſtum fit, & circa orientis eccleſiæ primordia pro Chriſtiana denſanda diſciplina præcepta quædam inculcari, caſtigationes, cenſuras & excommunicationes tum promulgari, iudiciaq́; fieri. Quid igitur nunc obſtrepunt pſeudoeuangeliſtæ,omnes eccleſiæ præceptiones, diſciplinam, & cenſuras in exilium protrudere molientes:inde abiecta eccleſiaſtica diſciplina, ad ſuæ doctrinæ ſcopum, ſolutam uiuendi licentiam,quam ſub libertatis nomine adumbrant, pertingere poſsint. Poſt Tertullianum idemtidem tradidiſſe Cyprianum in propatulo eſt:ait enim ad Quirinum diſciplinam Dei & in eccleſiaſticis præceptis obſeruandam. Et rurſus idem ſeſe eccleſiaſticam inſtitutionem ueluti ſanctam uenerari profitetur, inquiens: Hæc omnia nobis cum lætitia communi aſſeuerata ſunt firmiter, & probata,ſecundum quod diuinæ traditionis & eccleſiaſticæ inſtitutionis ſanctitas ac pariter ueritas exigebat. Sed & multo luculentius idem Cyprianus ita firmat ad preſbyteros & diaconos & plebem Furnenſem ſcribens, inquiens: Iampridem concilio epiſcoporum eſt ſtatutum, ne quis de clericis & de miniſtris tutorem ac curatorem teſtamento ſuo nominauerit. Quandoquidem ſinguli diuino

Cyprian.ad Quiri. lib. 3. cap.66.

Cypr.epiſtol. 10. ad Corn. fratrem.

Cypr.in epiſto.ad presbyteros et diaco. & pleb. Furnēſ. citat Grat.in cap. Cyprianus. 21.quaeſt.3.

uino ſacerdotio honorati, & in clericorum miniſterio conſtituti, non niſi altari & ſacrificijs deſeruire, & precibus atque orationibus uacare debeant. Sic ille. Vbinam quæſo, ſacro in canone decretum id conſcriptum pſeudoeuangeliſtæ offendere poterunt? Id tamen epiſcoporum ſtatutum concilio obſeruandum omnino Cyprianus cenſet, & ad id Furnenſes presbyteros & diaconos monet & hortatur. Præceptiua idcirco eccleſiæ decreta, etiam præter ea quæ ſacris ſcripta monumentis ſunt, colenda obſeruandaq́; eſſe, diuus Cyprianus declarat. Diuus etiam Ioannes Chryſoſtomus aperto ore eccleſiaſticas leges comprobat: Sciant (inquit) omnes his criminibus obnoxij, quòd ſi poſt hanc noſtram admonitionem in ea re negligentes manſerint, non toleraturos nos, ſed legibus eccleſiaſticis uſuros, magna eos auſteritate docturos, ne talia poſt hæc negligant.

Chryſoſt. ſuper Geneſ. homil. 5.

Eiuſdem pariter ſententiæ fuit diuus Ambroſius, qui de quadrageſimali ieiunio loquens, attemperatè ad hanc rem infit: Hæc autem non tam ſacerdotum præcepta, quàm Dei ſunt. Atque ideo qui ſpernit, non ſacerdotem ſpernit, ſed Chriſtum, qui in ſuo loquitur ſacerdote. Quibus uerbis admodum conſpicuè diuus Ambroſius eccleſiæ præcepta ueneranda, colenda & obſeruanda cenſet. Etiam ſi pluſquam ea quæ ſacro noui inſtrumenti canone continentur ſint. Quadrageſimale enim ieiunium, de quo loquitur diuus Ambroſius, licet multa exempla utriuſque Teſtamenti habeat, non tamen expreſſam in euangelica lege præceptionem.

Ambroſ. ſermon. 36. de quadrageſima.

Cum ſuperioribus etiam in ea re concordat diuus Hieronymus ad Lucinium, inquiens: Præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitrari debemus. Et paulò antè dixerat: Illud te breuiter admonendum puto, traditiones eccleſiaſticas, præſertim quæ

Hierony. in epiſt. ad Lucinium citat Grat. in cap. utinam. 76. diſtinct.

d fidei

fidei non officient,ita obſeruandas, ut à maioribus traditæ ſunt. In eandem ſententiam etiam accedit diuus Auguſtinus,ad inquiſitiones Ianuarij reſpondens.Præceptiones epiſcoporum concilijs traditas non ſecus ac ſacros canones obſeruandas eſſe aſſerens. Sed clarius magisq́; appoſitè ad rem ipſam diuus Bernardus ait: Siue Deus, ſiue homo uicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum: ubi tamen Deo contrarium non præcipit homo. Nam obedientia quæ maioribus exhibetur,Deo exhibetur. Quam ob rem quicquid uice Dei præcipiat homo, quod non ſit certum Deo diſplicere, non ſecus accipiendum quàm ſi Deus præcipiat. Quid enim intereſt, utrum Deus per ſe,an per miniſtros ſuos,ſiue homines,ſiue Angelos hominibus innoteſcat ſuum beneplacitum? Nec dicatur quòd loquitur de his, quæ tradit ſcriptura uel ratio manifeſta. Quia de his non eſt præceptor expectandus,uel prohibitor auſcultandus: ſed quòd latere, uel obſcurum eſſe cognoſcitur, ut in dubium uenire poſſit, utrum Deus ſic, uel aliter fieri uoluit,uelit. Sic ille. Quid igitur nunc obſtrepunt pſeudoeuangeliſtæ poſt tot ſanctorum in eccleſia doctorum apertiſsimas ſententias? Delirium profectò maximum ipſe arbitrarer impudentibus his homuncionibus plus fidei tribuere, quàm tot ſanctæ Dei eccleſiæ luminaribus.

Citat Grat. in cap. illud. 12. diſtinct. Aug. ad Ianuarij īquiſitiones, quæ citat Grat. in ca. omnia. 12. diſtinct. Bernar. lib. de præcep.

Diluuntur rationes pro pſeudoeuangeliſtarum parte ad eccleſiaſtica improbanda mandata adductæ.

PRæmiſsis uerò haudquaquam refragatur dum Eſaias ait, Fruſtra timuerunt me, mandato & doctrinis hominum: & pijſsimus ſaluator, Sine cauſa colunt me, &c. Hæc

Eſa cap. 29. Matt. ca. 15.

Hæc enim uel palam Apoſtolica uerba explanant, & diluunt, ad Titum enim ait: Quam ob cauſam increpa illos durè, ut ſani ſint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium ſe à ueritate. Quibus uerbis Paulus manifeſtò explanat, quæ ſint ea mandata hominum, quæ per Eſaiam, & demum per proprium filium Deus loquens, reprobauit mandata ſcilicet hominum auerſantium ſe à ueritate: deuiantia ſcilicet, ſecundum Ambroſium, à lege diuina: qualia erant mandata Iudęorum, quæ Chriſtus apud Matthęum improbat: quod planè demonſtrant uerba ſacri Euangelij: Hypocritæ irritum feciſtis mandatum Dei propter traditioné ueſtram. Ecce mandatum hominum auerſantiũ ſe à ueritate: quod non habebat pro ſcopo Dei cultum & honorem, ſed humani principatus (ut ibi inquit Chryſoſtomus) ambitum. Et ob id dicit diuus Ambroſius, Quia finis mandati ſecundum hominem eſt, dicitur adinuentio humana. Sed ſi finis ſit ſecundum Deum, ut in eccleſiaſticis præceptionibus, tunc clare uult Ambroſius, mandata ea, licet ab hominibus prodeant, non humanas adinuentiones, ſed potius diuinas inſpirationes cenſeri. In hoc autem non parum falluntur pſeudoeuangeliſtæ, dum putant uel ſibi ſufficere ſacri canonis regulam ad directionem, nihilq́; eccleſiaſticas præceptiones ad ſalutem conferre. Hos enim arguit Paulus, dum ad Romanos ait: Nolite eſſe prudentes apud uoſmetipſos: hoc eſt (inquit Athanaſius) Nolite uel ueſtræ prudentiæ, uel uiribus ita confidere, ut exiſtimetis, nemine uos indigere conſultore, & quæ recta ſunt ſuggerente. Moſes enim (inquit) & ſi Dei colloquio frueretur, opus tamen habuit, quem conſuleret, ſocero. ſic ille. Minus quoque ſuperioribus obſtant citatæ in Pentateuco

Ad Titum cap. 1.

Matt. ca. 15.

Amb. ſuper citatis Apoſtoli uerbis ad Tit. cap. 1.

Ad Roma. cap. 12.

Deut. ca. 18.

autoritates. Falſum enim & arrogantem Prophetam in Dei nomine, quæ Deus non præcepit, prophetantem, interficiendum dominus ait. Quod profectò uel nulla ratione in eccleſiaſticos adminiſtros uerti poteſt. Non enim hi arrogantiæ ſpiritu inflati quædam Chriſtianiſmo adiunxere mandata falſo ea ipſa à Deo præcepta eſſe aſſerentes, Sed pio ardentiq; animarum ſalutis flagrantes deſiderio, quaſdam imbecilli gregi admouent pręceptiones, queis hi Dei mandata facilius obſeruent, ac leuius ad Dei dilectionem omnium mandatorum ſcopum pertingant.

Treno.cap.3. Deeſt proinde & ſuperbię typus, & falſæ prophetiæ ſuſpicio. Neque in Lamentationibus Hieremias dicens, Quis eſt, qui dicit ut fiat, domino non iubente? prædiſſertis aduerſatur: loquitur enim, ut ex antecedentibus uel liquido conſpicere licet, nihil in rebus humanis præter naturalem curſum atque præordinationem fieri, niſi dominus iu-

Ioan.cap.8. beat. Tametſi uerò pijſsimus ſaluator ea ut homo loqueretur, quæ à patre acceperat: quæ uerò ab æterno, ut Deus ſciebat: non propterea inferri poteſt, eccleſiæ duces & adminiſtros nihil aliud loqui uel docere poſſe, niſi quæ à Chriſto immediate humana uoce acceperũt. Quum Pau-

1 ad Corint. cap.7. lus, ut in ſequentibus dicemus, & quædam à ſeipſo dicat, ſpiritum tamen Dei ſe habere putans, quo haud dubie

Ioan.cap.16. ducebatur. Et Chriſtus in euangelio paracletum eccleſiæ adminiſtris promittens, ait: Adhuc multa habeo uobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Quum autem uenerit ſpiritus ille ueritatis, docebit uos omnem ueritatem.

Ioan.cap.14. Et rurſum: Ille docebit uos omnia, & ſuggeret uobis omnia quæcunque dixero uobis. At quum etiam Chriſti uerba neque taxationem, neque limitationem habeant, ab autoritate negatiuè ſumptum argumentum minimè procedit,

cedit,ut uel primoribus logicæ rudimentis initiatis in propatulo eſt. Sed quid non à ſemetipſis loquuntur eccleſiæ adminiſtri in his quæ neceſſaria ſalutis directio expoſcit: adeſt enim illis CHRISTVS iuxta ſuam promiſsionem director,& promiſſus paracletus inſpirator,ut cum Paulo dicere poſsint, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Habuit nempe Paulus (ut ipſe aſſerit) ſpiritus primitias: illius proinde progreſſum in omnes poſteros prænuncians. Sed num & ad eccleſiæ adminiſtros Apoſtolorum, & diſcipulorum ſucceſſores Chriſtus ait, Qui uos audit, me audit: qui uos ſpernit, me ſpernit? Et rurſum: Non eſtis uos qui loquimini, ſed ſpiritus patris mei qui loquitur in uobis. Quæ non ſolum ad Apoſtolos,& diſcipulos, qui tum erant, ſed in eorum perſona ad omnes futuros eccleſiæ adminiſtros illorum ſucceſſores,dicta fuiſſe arbitrari debemus,ut alio libro, ubi de definitionibus eccleſiaſticis actum eſt, plenè ediſſeruimus. Nec magni Baſilij ex aduerſo citata ſententia pſeudoeuangeliſtis ſuppetias ferre poteſt.Nempe ea intellexit Baſilius haudquaquam admittenda eſſe hominum mandata quæ Dei mandatis aduerſarentur, non quæ ad illa ſuſtinenda non mediocriter conducunt: quemadmodum is declarat,in eo libro de monacha.inſtitutio.inquiés:Commonitionum ſanè non parua eſt diuerſitas: aliæ nanque contrariæ uidentur eſſe mandatis Dei: aliæ uerò interrumpere mandatum,uel contaminare uidentur: aliæ uerò ad explendum id, atque ædificandum ueniunt. Neceſſarium ergo eſt meminiſſe Apoſtolici præcepti dicentis: Prophetias nolite ſpernere: omnia autem probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mali abſtinete uos. Et iterum: Cogitantes, purgantes, uel deſtruentes omnem

2. ad Corint. cap. 13.
Ad Roma. cap. 8.
Luc. cap. 10.
Matt. ca. 10.
Baſilius in lib. de Monach. inſtit.

altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei & captiuantem omnem intellectum ad obediendum Chriſto.

Baſilius de inſtitut. Monach. ca. 14. de obediētia quibus obedire oportet.

Si quid ergo eſt quòd conueniat cum mandato Dei, & animæ expediat, & hoc nobis ab aliquo fuerit imperatum, uelut uoluntatem domini promptè & libenter debemus accipere, & explere quòd dictum eſt, obtemperantes inuicem in charitate CHRISTI. Si autem contrarium aliquid mandatis Chriſti, uel quod illa corrumpere uideatur, aut contaminare iubeamur ab aliquo facere, tempus eſt nos dicere, Obtemperare Deo magis oportet, quàm

Idem Baſil.

hominibus. Et rurſum meminiſſe domini dicentis: Alieni autem uocem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia uocem neſciunt alienorum. Sed & ſancti Apoſtoli meminiſſe debemus, qui ad cautelam noſtram uſus eſt, ne Angelis quidem parcere, dicens: Etiam ſi aut Angelus de cœlo euangelizet præterquam quod euangelizamus uobis, anathema ſit. Ex quo docemur, etiam ſi ualde nobis charus ſit aliquis, ſi magnificus habeatur, & in admiratione ſit poſitus, qui prohibet nos facere, quòd à domino præceptum eſt: uel rurſum imperat, quòd dominus fieri prohibuit: execrabilis debet eſſe, qui eiuſmodi eſt, omnibus qui diligunt Deum. Sic ille. Hiſce planè uerbis declarans ea ſuperiorum & præpoſitorum mandata, quæ diuinis aduerſantur dogmatibus, penitus amolienda: alia uerò, quæ cum Dei mandato conueniunt, & animę expediunt, uelut uoluntatem domini promptè, & libenter accipienda, & ſponte explenda eſſe cenſet: qualia profectò ſunt omnia eccleſiæ mandata, quæ ut prædiſſeruimus, & latius in ſequentibus explicabimus, ad Dei ſuſtinenda mandata non modò conducere, ſed & neceſſaria eſſe uidentur. Nec ullo pacto contraria ſunt diuinis præceptis, ſed ut illa libera

mente

mente impleantur hominem diſponunt. Non igitur hæc mandata improbare uoluit Baſilius, ſed potius monet illa uelut Dei obſeruare uoluntatem. Ob quod rurſum eodem in libro ait, quòd in mores concernentibus præpoſitis ſuis obediens domino & Deo obedire uidetur, inquit enim: Quum autem certus ſit, quod homini non obtemperat, ſed domino dicenti, Qui uos audit, me audit: & qui uos ſpernit, me ſpernit, &c. Sic ille.

Baſilius lib. de inſtitut. Monach. ca. 42. de obediẽtia de modo uidelicet et affectu obediẽ. circa finem.

LIBELLVS SECVNDVS.

Non leuibus ſed argutis rationibus probari poſſe uidetur, ſuperaddita eccleſiæ mobilia præcepta, & ſi alioqui illa dare præſulibus licuiſſet minimè Chriſtianiſmo expedire, noxamq́ ad ſalutem potius quàm adiumentum afferre.

TAMETSI eccleſiaſtici ducibus exercitus poteſtas hæc inſit, & pluſquam in ſacris contenta canonibus mãdata quędam adijcere Chriſtianiſmo, idq́; eis liceat, uidendum eſt, num expediat, ac conducat: Multa quippe (ut Apoſtolus ait) licent, quæ non expediunt, atqui primaria conſideratione è Chriſtianiſmo minimè ducendum uideretur tot inculcaſſe noua eccleſiaſticos adminiſtros mandata. Nempe inter ea quæ prioris iugum legis ſeruile efficiebant, hoc uel unum potiſſimum erat, quòd multa uariaq́; noua pręcepta obſeruanda darentur. Iugum autem hoc diuus Petrus

1. ad Corint. cap. 6.

Act. cap. 15.

trus

trus Apoſtolorum uertex à fidelium ceruicibus excutiendum cenſebat, inquiens: Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI credimus ſaluari. Legalium mandatorum onerosam, ſeruilemq́; obſeruationem per CHRISTI fidem extruſam minimè repetendam iudicans. Hinc pręclarè diuus Auguſtinus epiſcopalium præceptionum uarietate & multitudine liberam Chriſtianorum conditionem ſeruilibus premi oneribus, adeo ut formè Iudæorum conditionem tolerabiliorem fuiſſe cenſeat, aſtruere dilucidè uidetur. Qui etiam ſubiungit: Si tempus libertatis non cognouerunt, legalibus tamen ſacramentis, non humanis præſumptionibus ſubijciuntur. Deniq; eccleſiæ paſtores quas deberent paterna ſollicitudine, piaq́; lenitate in æternæ uitæ paſcuis redemptas precioſo Chriſti ſanguine oues confouere, & educare, onus & ſarcinam excutere, ut illis iuxta ſaluatoris uerbum Chriſtianæ legis iugum ſuaue, ac onus leue foret, dum tot inculcant mandata, pleroſque pluſquam par ſit onerantes, media cogunt deficere uia: qui fit, ut quibus ſubſidio ſpiritales patres eſſe oportet, ſint plerunque præcipitio. Præterea ut Baruch Propheta prædixerat, quem in ſuperioribus citauimus, omnis ad ſalutem neceſſaria diſciplina ſacris uidetur conſtare canonibus: ut quid igitur ſuperuacanea humana præſumptio ne eccleſiæ adminiſtri in eam introducunt mandata, quum abundè diuina ſufficiant? In eamq́; ſententiam complura alia quæ alio libro pro firmanda pręcipua pſeudoeuangeliſtarum baſe adduximus, appoſitiſsimè conſpirare uidentur. Vnde ſi diuo Ioanni Chryſoſtomo credamus, Chriſtus Iudęorum

Aug. ad inquiſ. Ianuarij citat Gratia. in ca. oīa. 12. diſtinct.

Baruch ca. 3.

Chryſoſt. ſuper Matth. cap. 15.

ſacerd

ſacerdotes arguit, quòd multa noua præcepta, præter ea quæ lege Dei continebantur, ſuperinduxiſſent. Sed quid? num & experimento plerunque didicimus, uel penè maiorem hominum partem præcepta hæc, quæ ieiunia & abſtinentias indicunt, minimè obſeruare: ſed humana impulſos fragilitate ea tranſgredi & uiolare, hincq; magis in pręceps ferri, quàm iuuari non expediebat, proinde eccleſiaſticæ utilitati hæc admouere medicamenta, quibus morbus plurium magis adaugeretur, quàm ſanaretur. Sed ad quid (Deum hominumq; fidem obteſtor) plura adiunguntur mandata, ubi admodum compendiarie diuinæ legis obſeruatio ad uitam ſatis eſt? Num forte cuiquam uidebitur expedire, fragilem & debilem, qui uix pauca ſuſtinere poſsit, multis onerari? Non hæc paſcentium cura & ſollicitudo eſſe uidetur, ſed potius dominantium imperium. Atqui dum hi tranſgreſſoribus mortalis reatum culpæ denunciant, & comminantur, pluresq; in uibratam incidere pœnam, quàm mandata obſeruantes reperiunt: ut quid rigorem hunc, minimè Chriſtianæ Reipublicæ expedientem, perpetuo proſequuntur tenore, nihil ex eo deflectentes? hi planè incaute & inconſideratè tot uariarum pręceptionum continua traditione perſiſtunt & perſeuerant. Et complura alia in eam rem adduci poſſent.

Non parum multis concludentibus rationibus è ſacris deſumptis canonibus, ſanctorumq; doctorum aſſertionibus probatur, eccleſiæ mandata Chriſtianiſmo ab illius adminiſtris tradita, admodũ conducibilia eſſe, & penè neceſſaria ad diuina ſuſtinenda implendaq; præcepta.

SEd profectò hæc ipſa uigilantium ſomnia ſunt, ac eorum qui apud ſemetipſos ſapientes uideri uolunt, aper-

tiſsima delyria. Admodum enim Chriſtianiſino expediens fuit, has adiungere eccleſiæ præceptiones, quinimo & neceſſarium. Nempe eccleſiæ adminiſtros triplici in commiſſas oues defungi officio oportet: Regentis primùm:ad eos nanque Paulus Epheſi presbyteros alloquens ait: Attendite uobis & uniuerſo gregi,in quo uos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere eccleſiam Dei, quàm acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio (ſubiungit) quòd intrabunt poſt diſceſsionem meam lupi rapaces in uos, non parcentes gregi. Rectores proinde epiſcopi & presbyteri Chriſtiani gregis ſunt, qué ſumma cura, ac ſollicitudine, inoffenſoq; pede ductare debent. Quum,ut illis Apoſtolus denunciat, Chriſto precioſo acquiſita ſanguine eccleſia chariſsima ſit,atque proin aduerſum lupos rapaces intentos, omni abiecta ignauia, prorſusq; excuſſo torpore, huiuſce tam precioſi, ac chari Chriſto exercitus duces & rectores eſſe decet. Paſtoralis denique officij curam,quæ admodum uigil eſſe debet, gerere cenſentur: unde ad ec-

1.Pet.cap.5. cleſiæ præpoſitos diuus Petrus ait: Paſcite qui in uobis eſt gregem Dei, ut non minori, prout Chriſtus in euangelio ait,affectu commiſſarum ouium ſalutem,quàm propriam

Ioan. cap.10. tutari debeant. Quippe ut Chriſtus dicit, bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Quocirca nec propriæ uitæ in ducendis ouibus parcere debent, neque alio-

Ioan. cap.21. qui Chriſti uicaria deffungi poteſtate uideri poſſunt, qui eo uel maximè ſe diligi à paſtoribus prænunciauit, ſi ſuas intentiori cura paſcerent oues. Præterea & tertium Medici in male habentes officium, ut ſanentur, optima autem ualetudine conſtantes à lapſu præſeruentur, præſtare

Matt. cap 9. Marci ca. . et Luc.ca.8. debent. Eius nempe gerunt uices,qui ſeſe in euangelio animarum medicum eſſe dicit. Ob quod diuus Ioannes

Chryſoſt

Chryſoſtomus ait, Eccleſiam quàm quodam adminiſte- *Chryſoſt.ſuper Gen.homil.21.*
rij typo eius duces referunt, medicorum quandam offici-
nam animabus eſſe debere. Et par eſt (ſubiungit) ut ex
ea, quaſi è medici domo animabus noſtris congrua me-
dicamenta habeamus. Et in eandem conſpirando ſenten-
tiam diuus Auguſtinus ad Bonifacium ait: Cogunt eccle- *Aug.in epiſtola ad Bonifacium.*
ſiæ præpoſitos multas inuenire medicinas multorum ex-
perimenta morborum. At oportuit ſpiritales medicos
gliſcentibus Chriſtianiſmi morbis leuia non ſolum, ue-
rùm ut diuus Ioannes Chryſoſtomus inquit, ſi quando *Chryſoſt.ſuper Gen.homil.5.*
ulcus durius eſt, attractiua, & mordacia adhibere phar-
maca, quo morbo occurratur citius. Qui proinde hoc tri-
plicis muneris regentis, paſtoris, & medici ſubeunt, cre-
bra decet cura ſollicitos eſſe, ea uelut regentes adhibere
præcepta, quibus in ſuaui Chriſtianæ diſciplinæ iugo à
recto deſciſcentes tramite contineantur: ut paſtores ea
prouidentia tranſilientes intra dominici gregis caulas re-
ducere oues, ne perditarum ſanguis de illorum manibus
exquiratur: ut medici ea arte aduentantibus nouis morbis
expedita admouere malagmata, quibus integra ualetudi-
ne commiſſæ oues tandem ad eum, cui cuſtodiendæ ſunt,
duci peruenireq́; poſsint. Scopus uerò & finis huiuſce tri-
plicis functionis quæ eccleſiæ adminiſtris imminet, eſt per
uitæ paſcua rectorum diſciplina directas, paſtorum do-
ctrina munitas, ſalubri medicorum antidoto ſeruatas oues
in æternam Chriſti hæreditatem perducere. Paſcua au- *Matt. ca.19.*
tem, & uitæ uia, mandatorum, & legis Dei obſeruatio eſt.
Si uis (inquit CHRISTVS apud Matthæum) ad uitam
ingredi, ſerua mandata. Aſt huius obſeruationis, quæ uia
uitę dicitur, ſcopus finisq́; præcipuus eſt, Dei ex corde pu-
ro, & conſcientia non ficta, eximia dilectio: ut cætera

mandata ad primum, quòd Dei dilectionem iubet, uelut ad ſcopum finemq; ferantur: de quo diuus Cyprianus, Meditetur, ait, Chriſtiana religio, & inueniet ex hac primi mandati ſcriptura omnium doctrinarũ regulas emanaſſe: & hinc naſci, & huc reuerti, quicquid eccleſiaſtica continet diſciplina. Commiſſum proinde exercitum illius rectores per uitæ uiam, obſeruationem ſcilicet mandatorum ad Dei dilectionem, huiuſce uiæ ſcopum, & terminum ductare oportet. Hanc uerò dilectionem Chriſtus in euangelio ex tota mente, & ex tota anima, & ex toto corde eſſe debere declarat. Ob quod ardua admodumq; difficilis functio eccleſiæ adminiſtris propoſita eſſe uidetur: ut eo modo regere, paſcere, & curare gregem debeant, ad hunc tam ſynceręe dilectionis pertingant ſcopum. Eam ob rem CHRISTVS in euangelio hanc uiam quæ ducit ad uitam arctam eſſe prænunciat, inquiens, quòd anguſta porta, & arcta uia eſt, quæ ducit ad uitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam. Nempe lex mentis ſuadet diuina obſeruare mandata, eo fine dilectionis omnium creatoris ex toto corde & ex tota anima. Sed ut Apoſtolus Dei ſpiritu plenus ait, Video aliam legem repugnantem in membris meis legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati: condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. uerùm exterior homo ſeu (ut theologi aiunt) inferior hominis portio interiori homini, uel ſuperiori portioni plerunq; contra nitens, à mandatorum & legis Dei obſeruatione deturbat: ut non, cum eodem Apoſtolo, quod uolunt bonum hoc faciant, ſed quod nolunt malum, hoc agant. Hinc diuus Cyprianus inquit: Nunquam deſiderijs carnalibus ſpiritum ceſſat infeſtare corpus humanum, quod Apoſtolus affirmat dicens, Caro inquit concupiſcit

Cypr. in ſermo. de bapt. Chriſti.

Matt. ca. 22. Mar. ca. 12. et Luc. ca. 10.

Matth. ca. 7.

Ad Roman. cap. 7.

Cypr. de ſingul. cleric.

aduerſus

aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim inuicem aduerſantur, ſic, ut non quæcunque uultis illa faciatis. Et rurſum idem Cyprianus: Quotidiano ſanè conflictu ſpiritus & caro luctantur, & cauſatur ratio aduerſus domeſticum malum, quod ita intra ſe exerceat regnum, quaſi natura ſit uitium, & ſecum traxerit creatio prima peccatum. Hoc utique prima non ſentit conditio, ſed ſecutum eſt tranſgreſſorum ſupplicium, & adhæſit pœna indiuidua peccato: de quo erubeſcent quicunque mundo corde regem in decore ſuo uidere deſiderant. Aduerſum hanc legis mentis deturbationem monet Apoſtolus Corinthios conueniens admodum ac conſentaneum deſumere pharmacum: Omnis, inquiens, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur (ſubiungit) ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem uerberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte quum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Quæ explanans uerba diuus Ioannes Chryſoſtomus, ait: Si Paulus ille talis, & tantus, qui quaſi alatus per totum orbem tranſcurrebat, & corporalibus neceſsitatibus ſuperior factus, & arcanorum illorum uerborum auditor, quæ uſque ad hunc diem alius audiuit nullus, ſcribens dicebat, Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, &c. Si igitur ille (ſubiungit) cui tanta contigit gratia, poſt tanta & talia bona opera opus habebat ut caſtigaret, & in ſeruitutem redigeret, & ſubijcere poteſtati & dominio animæ corporis laſciuias: caſtigat quoque quis, quod inſurgit: & in ſeruitutem redigit, quod fræna reijcit: Quid dicemus (inquit Chryſoſtomus) nos, qui omnibus uirtutibus deſtituti,

Cypr. in ſermo. de ratio. circuncisio.

1. ad Corint. cap. 9.

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 21.

omnibus peccatis onerati ſumus, & propterea magnam ignominiam præ nobis ferimus. Eam ob rem diuus Cyprianus huic morbo antidotum applicare uolens, ad hanc rem appoſitiſsimè ait: Deinde (inquit) uias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent: quoniam per uias latas, deſcenſusq́; præcipites itur ad inferos, per arctas uerò, & difficiles reditur ad ſuperos. Propter uerba labiorum Dei religioſus quiſque uias duras ingreditur, & iugulator uoluptatum ſtantem ex diuerſo hoſtem ſecurius aggreditur. Et ſubiungit: Arcta eſt uia, caſtitas: trames ſtrictus, humilitas: ieiunio affligi, & carnem in ſeruitutem redigere, ſcrupuloſæ ſunt ſemitæ. Sed ad patriam ſuperiorem non niſi per meatus difficiles armati milites reuertuntur. Et ob id idem Cyprianus huiuſcemodi ſaluti inſidiantes hoſtes domandos eſſe monet, eorum cauendas fallacias. Nolite, inquit Apoſtolus, locum dare diabolo. Omnino ergo (ſubiungit Cyprianus) muniendus eſt locus, ubi noſtræ ſalutis theſaurus abſconditus eſt, ne per unam cauernam totum parietem latro ſuffodiat. Et paulò pòſt: Abſcindenda ſunt de agro noſtro cuncta, quæ pungere, & lacerare conſueuerunt, ne animus agricultoris in poſſeſsione ſua malignis ſentibus inſeratur: & amputanda ſunt omnia nobis, quæcunque igniferi fomitis ſulphurantibus flammis candens fornax ebullientis carnis exeſtuat: ne uel tenuis quidem ſcintilla ſeruata, maiora conflet incendia. Ob id Apoſtolus ait: Quia detinuit nos charitas Chriſti. Si enim pro omnibus nobis mortuus eſt, propter hoc mortuus eſt, ut nos uiuentes poſthac, non nobiſmetipſis uiuamus, ſed ei qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Audiamus (inquit diuus Ioannes Chryſoſtomus) Apoſtolicam admonitionem, & non nobiſipſis uiuamus,

Cypr. de ſtel la. mag. & innocen. neceſ.

Cypr. de ſingul. clerico.

Ad Epheſ. cap. 4.

2. ad Corint. cap. 5.

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 33.

uamus,ſed ei qui mortuus eſt,& reſurrexit. Et ſubiungit: Et quomodo,dicet quiſpiam,poterimus nō nobiſmetipſis uiuere? Audias ipſum dicentem, Viuo autem non iam ego,uiuit autem in me Chriſtus. Vidiſti (inquit Chryſoſtomus) quomodo ſuper terram ambulans, & carne circundatus, quaſi cœlum inhabitans, & inter corporeas uirtutes conuerſans,efficiatur. Proinde alibi dicebat,Qui autem CHRISTI ſunt,carnem ſuam crucifixerunt, cum affectionibus,& concupiſcentijs. Hoc igitur eſt non ſibiipſis uiuere, ſed ei, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit,quando quaſi mortui ſumus præſenti uitæ. Et iterum idem Apoſtolus,Quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo. Quod exponens diuus Ioannes Chryſoſtomus dicit: Vidiſti uirum corpore circundatum, quaſi incorporea uirtute fruentem,loqui omnia:hunc omnes imitemur, & trucidemus membra carnis, ut ad operandum uirtutes idonea reddere ſtudeamus: poterimus autem, ſi offeramus Deo ſacrificium beneplacitum. Vidiſti quod nouum & admirabile hoc ſacrificium: quando mortua fuerint membra,tunc magis gratum erit Deo ſacrificium. Quare & quomodo hoc? quoniam ſpiritualis eſt hoſtia,& nihil habet ſenſibile. Nam in ſenſibili quidem hoſtia quod mortuum eſt abijcitur. Sed neque uiuum quod uitiatum fuerit, ſacrificijs idoneum eſſe, ab initio lege cautum fuit, ut per irrationabilium obſeruationem paulatim inducamur ad ſpiritualem & rationabilem hoſtiam offerendam. Quod enim illic eſt uitioſum,ut pote amputatum auribus, uel mutilatum cauda: hoc eſt hîc, mala concupiſcentia; luxuria,opum amor,& omnis malitia. Et id,quod eſt illic ſanum,& ab omni macula alienum:hoc eſt hîc,mortuum mundo. Ita (ſubiungit diuus Ioannes Chryſoſtomus) ad ſpirit

Ad Galat. cap. 2.

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 59.

ſpirituale ſacrificium temetipſum idoneum exhibe, unde in gratiæ lege maior longè à Chriſtianis perfectionis exigitur ratio, ut enim præclarè inquit Chryſoſtomus, aduenicns CHRISTVS & uirtutem in hominibus plantauit, & Angelos (ait) ut ita dicam, ex hominibus fecit: quibus Paulus comminatur, quòd ſi ſecundum carnem uixerint, morientur. Et propterea dicit (inquit) Dominus Deus tuus, Neutiquam permanet ſpiritus meus in hominibus his in ſæculum, eo quòd ipſi carnes ſunt: hoc eſt (ibi inquit Chryſoſtomus) quòd carnalibus operibus ſeipſos totos dedunt, & animæ ſubſtantia abutuntur. Perpetuus enim ſcripturæ mos eſt, carnem uocari carnales, ſicut & uirtute præſtantes carnis expertes nominat: quemadmodum Paulus dicit, Vos autem non eſtis in carne: eo quòd carnalia deſpiciebant. Vnde idem Chryſoſtomus, Propter huiuſcemodi uitam, quæ ſecundum carnem erat, non amplius, inquit, digni ſunt uocari homines. Et ibi latè explicat, quòd ſacræ ſcripturæ mos eſt, homines non ſtudentes uirtutibus, & dignitate, & nomenclatura hominis minimè dignetur: uerùm eos beluarum nomine plerunque pro detegenda propriæ dignationis ablatione uocitat: hos propterea in ueteri Teſtaméto de terra delere Deus comminatur. Tandemq; exequitur: Vt igitur ſecundum interiorem hominem legi Dei cum Apoſtolo condelectantes diuina ſyncerè & candido pectore obſeruemus mandata, ad illorum pertingentes ſcopum, Dei uidelicet dilectionem ex tota mente, ex tota anima, & ex toto corde, repugnantem in membris legem abſcindere oportet, ac ſpiritu carnis mortificare opera, hæc eccleſiaſtici gregi rectoribus, paſtoribus, & medicis, propoſita eſt aduerſum inſidiantes hoſtis fallacias ſalubris cautela, ut per uitæ paſcua,

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 55.

Ad Roman. cap. 8.

Geneſ. cap. 5.

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 21.

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 22.

paſcua, obſeruationem ſcilicet mandatorum, ad illorum ſcopum, Dei dilectionem inoffenſo pede commiſſum ducent gregem. Neque alioqui ſecundum legem mentis, cui interior congaudet homo, eum ductare poſſunt: ni contranitentem externum hominem quibuſdam deturbent præceptis, diſciplina uinciant, antidotis repellant, & effugiant. Ad oſcitantes nanque & continuò in ſalutis uiam errabundas oues minimè reuocantes, per Ezechielem dominus ait: Quod infirmatum eſt, non confortaſtis: & *Ezec. ca.34.* quod malè habuit, non corroboraſtis: & quod contribulatum, non conſolidaſtis: quod errauit, non reuocaſtis: & quod perijt, non inquiſiſtis: & diſperſæ ſunt oues meæ, eo quòd non ſint paſtores: & factæ ſunt in comeſturam omnibus beſtijs agri, & non fuit, qui inquireret, neque qui reuocaret. Propterea hæc dicit dominus: Ecce ego ſuper paſtores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam eos, ut non paſcant oues meas, & iam non paſcent eas: & extraham eas de ore eorum, & paſcam eas cum iudicio. Super quibus uerbis pulchrè diuus Cyprianus inquit: Quum ergo paſtoribus talibus, per quos dominicæ *Cypr. in epiſtola ad Stephanũ fratr. incipiẽ. Fauſtinus lib.3.* oues negliguntur, & pereunt, ſic comminetur: quid nos aliud facere oportet, fratres chariſsimi, quàm colligendis & refouendis Chriſti ouibus exhibere diligentiam plenam, & curandis lapſorum uulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam. Non eſt ſanis opus medicus, ſed malè habentibus. Et paulò antè dixerat, Quæ maior eſt, aut melior cura præpoſitorum, quàm diligenti ſollicitudine, & medela ſalubri fouendis & conſeruandis ouibus prouidere. Quæis admodum conſpicuè uel leniuſcula ſibi cenſura conſtans uidere poteſt, expediens non modò, uerum & neceſſarium fuiſſe, Chriſtiani gregis rectores, pa-

ſtores, & medicos, quaſdam ultra diuina mandata Chriſtianiſmo præceptiones adiungere, quibus caro ſpiritum infeſtans mortificetur, minimeq; legem mentis, cui interior homo condelectatur, interturbet. Stulto quippe alioqui ſe labore conſumerent per uitæ uiam, obſeruationem mandatorum ad diuinæ ſcopum dilectionis gregem ductare uolentes, niſi ei quorundam prępararent mandatorum auxilium, quo hi diuina ſuſtinere poſſent mandata, ac legem mentis, quæ Dei eſt, obſeruare, carnis operibus mortificatis. Vnde licet Moſes legem diuinam à Deo ipſo omnium creatore accepiſſet, quàm populo obſeruandam annunciaret: hunc tamen Ietro ſocer ſe ſtulto conſumere labore monet, niſi & quædam ordinet, minimè à Deo illi præcepta, quibus facilius diuina quæ Deus iuſſerat, mandata ſuſtineri poſſent. Atqui & huic ſano licet humano conſilio ſoceri Moſes audiens, & quædam adijcit, ſimul & ſtatuit, quæ ſocer conſuluerat, ultra diuinæ legis traditionem. Sic & ſtulto ſe conſumpſiſſent labore eccleſiaſticum ductantes exercitum, niſi & quaſdam præceptiones adinueniſſent, quibus fideles ſpiritu uiuentes, carne depreſſa Dei legem obſeruare, & illius ſuſtinere mandata poſſent. Propterea & naſcentis eccleſiæ paſtores nō omnino hoc onus à ceruicibus Chriſtiani gregis excutere uoluerunt, ſed & quædam pluſquam euangelica præcepta, uelut neceſſaria, obſeruari præcipiunt. Viſum eſt, inquientes, ſpiritui ſancto, & nobis, nihil ultra uobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria. Poteſt igitur & Chriſtiano gregi neceſſariæ rei præcipiendo onus imponi. Neceſſariam rem dicunt, tum Apoſtoli & ſeniores primitiuæ eccleſiæ, abſtinere ab immolatis, gentibus nouiter ad fidem conuerſis: ne gentilicium obſeruantes ritum, ſuſpicionem,
dum

dum idolotytis uescerentur, alijs Chriſtianis inferrent, ad priorem uelle redire infidelitatem à ſanguine, & ſuffocato quos cibos Iudæi natura abhorrent, ne ſi illis ex gentibus ad Chriſtianiſmum conuerſi ueſcerentur, hinc communis gentilium Chriſtianorum, & Iudæorum conuictus interturbaretur. Ea igitur quæ relinquendæ fidei ſuſpicionem afferrent, uel communis unitatis interturbandæ occaſionem præſtare poſſent, uelut neceſſaria cauenda prohibentur. Atque id onus tum orienti Chriſtianiſmo præcipiendo imponitur: magis longè neceſſaria ratione cenſendum eſt, potuiſſe onerari fideles quibuſdam præceptionibus, quibus mortificatis carnis operibus exploſaq; uel deuicta membrorum lege, quæ mentis legem interturbat, Dei mandata cum Moſe facilius ſuſtinerent, & ad illorum præcipuum ſcopum, quem ſuprà explanauimus, pertingerent. Conuenientia uerò, conſentanea, expedientia, conducentia, quinimo & neceſſaria huic rei ea mandata fuerunt, quæ certis temporibus ieiunia, abſtinentias. feſtorumq; cultum præcipiunt & diuinis intendere rebus iubent. Modus nanq; in priori lege omnium ſanctorum patrum carnem humiliandi, ut legi mentis condelectarentur, ac ſeſe interius Dei affatibus præpararent, ieiunia, abſtinentiæ, & orationes fuere. Huiuſce rei exemplis plenus eſt ueteris inſtrumenti canon, quem breui ſermone complectitur diuus Athanaſius: Sed & in nouo Teſtamento (ut ſacra nobis euangelica annunciat lectio) ac Apoſtolorum monumenta plerunque declarant, is modus humiliandæ deprimendæq; carnis mentiſq; diuinis præparandæ affatibus, ſemper præcipuus fuit, ieiunijs, abſtinentijs, & orationibus intentius uacare, ut pleno in poſterioribus ediſſeremus cornu. Hæc profectò aduerſus externi homi-

Athanaſ. in exhortat. ad monachos.

nis infeſtationem conuenientia pharmaca naſcentis eccleſię fideles charitate feruentes, diuino denique amore flagrantes,ſuapte natura excolebant,& obſeruabant,Apoſtolorum monitis quum in illis tum in cæteris impigrè audientes. Verùm progrediente tempore poſteriore eccleſiæ ſtatu è candore illo uel penè omnes detorſere, fermè nihil paſtorum dicto audientes. Ne igitur hi ſua mala perirent uoluntate, decuit paſtores, ne illorum ſanguis à manibus eorum requiratur,pręceptionibus hæc ipſa obſeruanda ſtatuere,quæ ad diuina ſuſtinenda mandata neceſſaria cenſeri poſſunt. Hoc egit Moſes ad Ietro conſilium, hoc & Apoſtoli in naſcenti eccleſia tam ſyncero, & candido ſtatu facere curauerunt. Magis igitur idipſum exequi oportuit in poſteriore eccleſiæ ſtatu illius duces, quò (ut diuus Athanaſius ait) à priſtina illa & optima ſumus eccleſia multum alieni, nec in hoc relinquendi fuere perire uolentes plerique proprij libertati arbitrij: alioqui (ut diuus Cyprianus ait) nec nos ſerui deſcriberemur,nec ipſe dominus haberetur,ſi ſecundum uoluntatem noſtram permitteremur impendere ſeruitutem, & arbitrio noſtro, non Dei eligeremus exercitamenta iuſtitiæ. Tales(inquit) Paulus uanificat dicens,Ignorantes enim iuſtitiam Dei,& ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Hi profectò pſeudoeuangeliſtæ ſunt, qui propriæ conſcientiæ libertate, & non uoluntate Dei, quàm is per ſeipſum,uel adminiſtros ſuos in eccleſia declarauit, ſeruitutem illi impendere uolunt, & proprio arbitrio iuſtitiæ exercitamenta quærunt. Quum in hoc (ut Cyprianus citato loco dicit) iuſtitia hominis ex Dei iuſtitia pendeat. Illa autem (ut diximus) relucet in eccleſia, cuius ducibus ſemper aſsiſtit, & per eos ſeſe loqui prædixit. Declarauerunt

Athanaſ in epiſt. ad Philippen. ſuper uerbo q mecum laborauerunt in euangelio.

Cypr. de ſingul. clerico.

runt uerò eccleſiæ adminiſtri Chriſtianæ in Deum ſeruitutis modum,& iuſtitiæ exercitamenta,& ad ſalutis uiam facilius inueniendam, formam doctore ſpiritu ſancto ſaluberrimis decretis pronunciarunt: hi ſequendi ſunt, & non proprio liberoq; arbitrio, ut pſeudoeuangeliſtæ putant,uictitandum. Vnde pulchrè ad eam rem,& multum appoſitè Baſilius infit: Quum dicat dominus, Non ueni, ut à me faciam quicquam: ſed ille qui me miſit, ipſe fecit. Quanto magis unuſquiſque noſtrum non ſibi permittere debet aliquid: qui enim ſua autoritate aliquid agit, manifeſsimè ſuperbiæ morbo detinetur, & ſubiectus eſt illi ſententiæ,quæ dicit,Quoniam in hominibus ſuperbientibus abhominatio eſt apud Deum. Sed in omnibus ſua ſponte, uel autoritate aliquid agere culpabile eſt. Et paulò pòſt ſubiungit, Apoſtolo dicente, ut non quæcunq; uultis, illa faciatis. In omni negotio ſua uoluntate unumquenque permittere,ſua uoluntate agere, pernicioſum eſt: ſed oportet illud ſuſcipere, quod ab his qui præſunt, iniungatur,etiam contra uoluntatem eius cui iniungitur,ſecundum exemplum domini dicentis: Pater, non mea uoluntas, ſed tua fiat. Sic illic. Quæ & pro ſi monachorum inſtitutione magnus Baſilius edixerit,illius tamen rationes planè omni conueniunt fideli, Chriſti religionem, & regulam profeſſo:ac hiſce clarè cum teſtimonijs, tum & rationibus Baſilius hæc loquitur, quæ æquè omnibus Chriſticolis conſentanea ſunt. Sed quid immoramur? num & è regentis officio ducendum fuit, quibuſdam legibus bonos in uirtute confouere,malos in eam reducere? Paſtores quoq; errantium minimè ouium uoluntatem ſequi oportet,ſed tranſilientes etiam inuitas in dominici gregis caulas reducere: Medicus uerò num & quædam præcepta

Magnus Baſilius de inſtit. monach. cap. 46.

ægrotis etiam renitentibus adhibet, quæ ſi tranſgrediantur, mortem annunciat? Haud abſimiliter & medicos decuit agere ſpiritales, alioqui optimorum regentium, uigilantium paſtorum, & ſollicitorum medicorum, quàm lege euangelica adhibere tenentur curam haudquaquam exhibuiſſent. Quocirca non modò commiſſarum ſaluti ouium ac rectorum, paſtorum, medicorumq; iniuncto officio conducibile, quinimo & neceſſarium fuit credito gregi, etiam renitenti, illos ut rectores diſciplinæ leges, ut paſtores ſalubria pabula, ut medici quoque gliſcentibus morbis cõuenientia pharmaca dare, optimos ſcilicet præceptiones admouere. Vnde ſi medicus liberam malè affecti uoluntatem ſequeretur, num & is admodum culpandus foret? ceu qui in præcipitium tendenti ægroto aſſentiret? Ita & ſpiritales medicos malè affecti Chriſtiani arbitrium liberum ſequi minimè oportuit, ſed ſalutis exhibere neceſſaria præcepta, ut quam caro ingerit, curetur ægritudo, eaq; malè antea affectus ſpiritus ſanetur: uel, ut cum Apoſtolo uerius loquar, interior renouetur homo. Nec ob id Chriſtianæ libertas legis extruditur, hic nempe deſunt ſeruilia carnalia externa: infligendæ ſine miſeratione pœnæ uincula, nec arbitrij libertas pręciſa cogitur neceſsitate, ſed conditionata, cauſatiuáue ſolum: ut ſi uel mortis æternæ reatum Chriſtianus euitare uelit, has ſalubres & medicas præceptiones libero recipere ſpiritu, ſimul & obſeruare debeat: quas ſi amoliatur, iam à ſapiente medico occurrentis ſpiritalis mortis denunciatum eſt periculum. Quæ res ſpiritus minimè coartat libertatem, neque pręciſam infert neceſsitatem, ut plenius in ſequentibus ediſſeremus. Sed nec à Chriſtianorum ceruicibus hoc præceptionum iugum excutiendum Petrus Apoſtolorum

lorum uertex cenſuit: nempe quum dixiſſet, Vt quid tentatis imponere iugum, &c. paulò pòſt cum alijs Apoſtolis & ſenioribus, primitiuam eccleſiam referentibus, ait: Nihil ultra uobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato, &c. Sicq; onus neceſſariæ præceptionis Chriſtianis imponitur etiam circa ea quæ naturali uel euangelica lege minimè prohibita erant.

Diluuntur pro pſeudoeuangeliſtis adductæ rationes & inter priſcæ legis ſeruile iugum, & nouæ ſuaue diſcrimen clariſſimè demonſtratur.

Atqui & in priſca lege iugum, ſeruile quippe, & onus admodum graue carnalium mandatorũ fuit, quod extrudendum Petrus cenſebat, uerùm & in gratiæ lege Chriſtianæ ſeruitutis iugum eſt, ac onus. Sed hoc CHRISTI iugum (ut ipſe in euangelio ait) ſuaue admodum, & leue onus eſt. Vtriuſque proinde ſeruilis priſcæ legis, & ſuauis nouæ legis, & libertatis teſtamenti iugi & oneris diſcrimen intelligere oportet. Legalium obſeruationem ceu iugum graue Petrus ex ceruibus diſcipulorum abijciendum cenſuit. Chriſtus uerò iugum ſuum ueluti ſuaue laudauit. Prioris nanque legis iugum graue fuit, non tam mandatorum multiplicatione, quàm externorum uinculorum præſentanei maledicti & corporalis pœnæ ſine quacunque miſerationis ſpe inflictione, ut in ſequentibus ediſſeremus. Graue igitur iugum erat, tot obſeruare legalia præcepta, & uel minimum ex illis tranſgredientem mox maledicto ſubijci, & corporali morte ſine miſeratione plecti: nullus tum ueniæ, nullus miſericordiæ locus. In gratiæ uerò lege, & ſi Chriſtus perfectiora longè

& quæ

& quæ obſeruatione difficiliora uidentur, adiecerit mandata, ut externum malitiæ opus non modò prohibuerit, ſed & internam cogitationem:tamen quia uincula carnalia & ſeruilia ac præciſa ſublata ſunt per libertatis legem, ſemperq; miſericordiæ,gratiæ, & ueniæ locus eſt, reuertentibus uelut filijs Chriſtianæ legis iugum ſuaue eſt, & non durum,uel graue.Sed ut huiuſce diſcriminis,ampliorem ac euidentiorem ſubiungamus rationem, animaduertendum eſt priſcæ legis mandata ſeruilia,externa quædam & carnalia præcipere, in quibus præter opus carnale quod mandati litera ab extra ſonabat,& pœnam illi pręſentaneam ſubſcriptam populus nihil tum intelligebat: quod deſignabat uelamen, quod erat ante oculos Moſis: figuræ uerò, typi & umbræ,ac emphaſis, carnali abditæ erant plebi. Propter quòd Apoſtolus Hebræorum magiſtros arguit, uos qui deberetis eſſe magiſtri propter tempus, quia in antiqua lege educati fuerant, rurſum indigetis,ut doceamini, quæ ſunt elementa ſermonum Dei: uolens eos (ſi Hugoni à ſancto Victore credamus) arguere, quòd minimè carnalia præcepta figuram & typum ſermonum Chriſti gerere intelligerent.Propterea onus illud externum,& carnale, in quo nihil præter ſeruile externum opus durę ceruicis populus intelligebat,obſeruatione graue erat, & iugum quoddam degeneris ſeruitutis, in quo nullam ſpiritus oblectationem deſumere poterat, mensq; fermè ſine fructu erat,eorum nempe, quæ ſpiritaliter præfigurabantur: qui hæc obſeruabant mandata minimè intelligebant, ut illis inde ea obſeruatio ſarcina quædam carnalis eſſet, ſine mentis fructu & oblectatione: ut in ſimili Apoſtolus de lingua tantum loquentibus, minimè autem prophetiæ,ideſt,interpretationis ſpiritalis chariſma habent

Ad Hebræ. cap.5.

habentibus, ad Corinthios ait: Atqui in lege noua, quæ ad carnalis diſcrimen ſpiritus lex dicitur, ſublatum eſt uelamen, quod erat ante oculos Moſis: aperta ſunt ænigmata, umbræ, & figuræ ſeruilis legis per ſermonem Chriſti domini: ſubintrauit lex tota ſpiritualis, interiorem hominem inſtruens, & ſyncerioribus, perfectionibusq́; præceptis à Chriſto ſuperadditis in Dei obſequium magis adigens: erga quem uelut patrem, & liberatorem, maiorem ſubiectionem & timorem liberatos filios habere decet. Aperit enim omnium mandatorum Dei ſcopum, & finem: quod ſignauit ueli templi in Chriſti paſsione diſciſsio, ſi Damaſceno credamus. Propter quod diuus Ioannes Baptiſta dicebat, Et conuertentur aſpera in uias planas: ideſt (inquit Tertullianus) priſcæ legis ſeruilis obſcuritates, & difficultates in euangelicas facilitates. Aſpera priora carnalia mandata erant, quæ minimè in ſua emphaſi à carnali populo intelligebantur: omnia uerò clara, & plana facta ſunt in euangelio, quòd Deus annunciare uoluit per ſuum filium. Percipit igitur in ſpiritali lege, quam intelligit, mens ipſa fructum, quo gaudet, & delectatur, ubi prior tormentum habebat. Ob id Paulus ait, Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem. Gaudet nanque ſpiritus legem intelligens ſpiritalem: & dum eam ipſam obſeruat, fructum capit, & maiorem longè ſe capturum prænoſcit. Et propterea Chriſtus ad diſcipulos ait: Iam non dicam uos amplius ſeruos, ſed amicos: quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci uobis, euangelicam explanationem ſeruitutem ſuſtuliſſe his uerbis dicens, & in amicitiam credentes uocaſſe. Suaue proinde noui Teſtamenti, & ſpiritalis legis iugum eſt: priſcæ uerò legis ſeruile, & graue erat. Illud Apoſtolorum uertex

1. ad Corint. cap. 14.

Damaſce. in 4. cap.

excutiendum cenſebat: hoc nouæ legis ſubeundum Chriſtus docuit, laborantes & oneratos, ut ad ſe ueniant refectionem ſuſcepturos, inuitans: Venite (inquit) ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Noluit igitur extrudere CHRISTVS per legem libertatis onus & laborem, quum oneratis,& laborantibus refectionem polliceatur. Sed onus id eius refectionis ſpem ferens, quam clarè intelligimus,leue eſt, & ſuaue iugum ſpiritualis legis,ubi carnalis iugum graue,& onus admodum durum. Quum igitur eccleſiæ præceptiones dum carnem repugnantem deprimunt,& mentem præparant, hoc efficiunt,ut legi Dei ſecundum interiorem hominem condelectemur, hincq; illarum ſcopum, & finem intelligamus, ac ſpem aduenientis præparatis mentibus gratiæ habeamus:iam harum præceptionum iugum ſuaue, & onus leue eſt. Quinimo & hiſipſis præceptionibus quibus carnis operibus mortificatis, ſpiritu uiuamus ſuaue Chriſti iugum ac onus leue efficitur. Nempe qui minimè carnem domant,nec mentem diuinæ præparant gratiæ,ſpiritalem explere functionem,cui haudquaquam apti ſunt, uix poſſunt: quæ proinde illis grauis & dura eſt. Qui uerò carnis onera depreſſerunt, ſpiritus munia leuia ac oblectamentum quoddam præ ſe ferre ſentiunt,guſtantq; hi quibus inferiori portioni minimè obnoxia, ſed libera mens eſt, diuinæ ſeruitutis dulcorem & in enarrandum ſuauitatem: quæ carnis ponderibus malè affectæ menti deſipit,& faſtidium generat. Quocirca his qui ſpiritu ualent, depreſſa carne Ezechiel ſpiritu prophetico ait: Inuenti ſunt ſermones tui, comedi eos, facti ſunt ſicut lac, & mel in ore meo. Quibus uerò humiliandæ carnis præceptiones haudquaquam placent, rectè attemperari poteſt illud

priſcæ

priſcæ legis: Venerunt in mentem pepones, quos comedebamus, dum eſſemus in Aegypto, & faſtidit nobis manna. Eis nanque placent, & ſapiunt carnales uoluptatis pepones, & ſpiritalis legis oblectamentum deſipit, quòd eccleſiaſticæ medicamento præceptionis carnis diſcraſim, quæ ſpiritalem tollit guſtum, curare minimè uelint. Neq; hiſce diui Auguſtini citata uerba refragari cenſeri poſſunt. Improbat quippe ſynodalium conſtitutionum nimiam uarietatem, & multiplicationem: ſed eccleſiæ in plenarijs relata concilijs præcepta, & decreta uenerando cultu obſeruanda cenſet. Neque ob id eccleſiæ paſtores plus æquo commiſſas onerant oues: ſed potius molis carneæ, quæ ſpiritum interturbat, onus pro bona parte tollunt: indeq; Chriſtianæ ſeruitutis iugum ſuaue reddunt: nec ſunt illis præcipitio, ſed potius ſummo auxilio. Vnde multum ad hanc rem attemperate magnus ille Baſilius ad quæſtionem, Vtrum liceat unicuique uitare opus, quod grauius uidetur, reſpondens ait: Qui fideliter, & purè Deum diligit, & certus eſt de retributione domini, nec ſufficere ſibi putat ea, quæ iniunguntur, ſed ſemper augmenta operis quærit, & maiora quàm iniungantur deſiderat, & exoptat, etiam ſi ſupra uires uideatur eſſe quod facit: nec aliquando ſecurus eſt tanquam opere expleto, ſed è contrario ſollicitus eſt, & anxius, tanquam ſi nihil dignum præceptis euangelicis egerit, memor illius dominici ſermonis, dicentis: Quum autem feceritis omnia quæcunque præcepi uobis, tunc dicetis, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Sed & imitabimur Apoſtolum, cui quum mundus eſſet crucifixus, & ipſe mundo, non erubeſcit dicere: Quia ego me ipſum nondum exiſtimo apprehendiſſe: unum autem, ea quidem quæ retro ſunt obliuiſcens,

Aug. quem Gratia. citat in ca. omnia. 12. distinct.

ad ea quæ antea ſunt me extendens, ſecundum propoſitum ſequor ad palmam ſupernæ uocationis Dei, in Chriſto Ieſu. Et qui quum haberet poteſtatem, quia euangelium annuncians, de euangelio uiuere: Magis in labore, & fatigatione (inquit) nocte & die operans uixi. Non quia non haberemus poteſtatem: ſed ut nos formam daremus uobis ad imitandum nos. Quæ quum ita ſint, quis ita uel ſtultus eſt, uel infidelis, ut putet ſe maioribus, quam debet, oneribus prægrauari, quum hanc quoque menſuram nondum poſsit implere? ſic ille. Neque ſuperuacanea eccleſiæ paſtorum præcepta eſſe ſuperioribus cuique ſatis approbatum eſſe puto. Et ſi pleriq; ea ipſa tranſgrediantur, & noxam incurrant: non hæc (ut in ſequentibus plenè ediſſeremus) culpa in autores & ſpiritales medicos referri poteſt, ſed male egrotantis uoluntati potius adſcribenda eſt. Nempe ab eccleſia propoſitum antidotum ad ſpiritalem obtinendam conducebat ſalutem: quod amoliens nimium temerariè ſe periculo ſubijcit. Abſit autem ut inde, quod plerique uel facile has ſalubres præceptiones auerſantur, ac tranſgrediantur, indeq; noxã incurrunt, eaſipſas extrudendas cenſeamus. Nempe, ut prædiximus, neceſſaria ſunt Chriſtianis pharmaca quę ſuſcepta ad ſalutem præparant, & abunde conducunt: neque his, qui eaipſa negligunt, officiunt: ſed eorum torpor, & deſidia, ac uoluptuarius affectus inobedientiæ pœnæ illos addicit. Nec puto quenquam cenſura conſtantem multa ſalutaria artis medicæ propoſita adiumenta ea ratione tollenda eſſe autumare, quod maior hominum pars hiſce plerunque minime uti uolens grauiora incurrat pericula: bonum enim in ſe ſemper antidotum eſt. Non utentis autem culpa eſt ſi periculum incurrat. Vnde diuus Auguſtinus ad hanc rem attemper

Augu. epiſtol. 48.

attemperatiſsimè infit ad Vincentium Donatiſtam,& rogatiſtam ſcribens: At enim quibuſdam iſta non proſunt. Nunquid ideo negligenda eſt medicina, quia nonnullorum eſt inſanabilis peſtilentia? Tu non attendis niſi eos qui ita duri ſunt,ut nec iſtam recipiant diſciplinam:de talibus enim ſcriptum eſt, Fruſtra flagellaui filios ueſtros, diſciplinam non receperunt. Puto tamen quia dilectione, non odio flagellati ſunt. Sed debes etiam tam multos attendere,de quorum ſalute gaudemus.Si enim terrerentur, & non docerentur, improba quaſi dominatio uideretur. Sed rurſus, ſi docerentur, & non terrerentur, uetuſtate conſuetudinis obdurarentur,& ad capeſcendum uiam ſalutis pigrius mouerentur. Et paulò pòſt ſubiungit:Quum uerò terrori utili doctrina ſalutaris adiungitur,ut non ſolum tenebras erroris lux ueritatis expellat: uerùm etiam malæ conſuetudinis uincula uis timoris erumpat, de multorum ſalute lętamur. Et rurſum,paucis interpoſitis,Non omnis qui parcit amicus eſt, nec omnis qui uerberat inimicus.Meliora ſunt uulnera amici,quàm uoluntaria oſcula inimici. Melius eſt cum ſeueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtilius eſurienti panis tollitur,ſi de cibo ſecurus iuſtitiam negligebat,quàm eſurienti panis frangitur, ut iniuſtitiæ ſeductus acquieſcat.Sic ille. Porrò & in gratiæ lege quantum ſpiritalem attinet ſcopum, ad quem eccleſiæ rectores, paſtores, & medicos intuitum dirigere oportet, quæ ſalutis præmouent auxilia, ac eius impedimenta auferunt,eo minimè tollenda ſunt,quòd plures deſides & torpeſcentes ea negligant & auerſentur.In corporali quippe monarchia humanæ ſocietatis ſeruare uinculum qui hoc muneris explet pro fine & ſcopo pertingendo uel ſatis habet: quo fit,ut neque rigide perpetua poſsit

cenſura perfectionis leges imperfecto ſancire populo. Multa igitur, ut eius uniuerſitatis, in qua imperfectorum maior quàm perfectorum numerus eſt, quietem & pacem obſeruet, quæ à perfectione ipſa deuiant tolerare oportet. Verùm in ſpiritali moderatione ſtrictior perfectarum legum habenda eſt ratio. Iubet enim CHRISTVS in euangelio ſui exercitus milites perfectos eſſe: Eſtote (inquit) perfecti ſicut pater ueſter qui in cœlis eſt. Et rurſum. Et hæc ſcilicet minima oportuit facere, & maiora non prætermittere. Et iterum: Qui in omnibus benè egerit in uno autem defecerit, factus eſt omnium reus. Ecce legem euangelicam, quæ perfectæ libertatis eſt (ut diuus Iacobus ait) integram, non deuiantem in aliquo à uero ſalutis tramite, exigere perfectionem. Et propterea ea minimè admittit quæ à perfectione deſciſcere occaſionem tribuere poſſent: licet imperfecti plures, & incauti, illa minimè obſeruent, & periculo ſe addicant. Vnde eadem ratione, quod admodum abſurdum, & temerarium cenſeri poſſet, Dei mandata, & leges plures tranſgredi, quàm obſeruare uidemus: igitur extrudi deberent, ſi pſeudoeuangeliſtarum ratio procedat: ſed abſit à Chriſtiano uiro tanta blaſphemia. Non idcirco propter imperfectorum deſidiam & contemptum ſunt obedientium auferenda medicamenta & antidota. Pereant illi imperfecti & inobedientes, ſua mala uoluntate, niſi reſipiſcant. Curentur uerò, ſanentur, & conſeruentur, qui ſuperiorum audiunt dicto, & ſalubrium præceptorum medicamenta non negligunt, ſed auidè deſumunt. Sicq; concludendum ſupereſt, Expediens non modò, uerùm etiam & conducens & neceſſarium fuiſſe, adminiſtros eccleſiæ quaſdam Chriſtianiſmo adiungere præceptiones, quibus Dei mandata facilius, ac

ſine

ſine periculo ſuſtineri poſſent, quas decuit perpetuo proſequi & continuare tenore.

LIBELLVS
TERTIVS.

Complura ex utroque inſtrumento pro pſeudoeuangeliſtis adducuntur teſtimonia, quibus probari uidetur ſolis diuinorum mandatorum tranſgreſſoribus æternæ mortis imminere pœnam: neque ad illam quoquo pacto humanas eccleſiæ paſtorum præceptiones obligare poſſe.

ECCLESIASTICAS approbaſſe præceptiones uel parum ad pſeudoeuangeliſtarum reuincendam petulantiam conducere arbitratus ſum, ni & eiſipſis uinciendi fideles diuinam quandam ineſſe uim, nec inobedientiam impunem eſſe luculenter demonſtrem. Quam ob rem qualis tranſgreſsionis eccleſiaſticarum pręceptionum reatus ſit,& quæ tranſgreſſores pœna maneat,explicare operæprecium duxi.Et ne (ut prædixi) inermes pſeudoeuangeliſtas adoriri uidear, ac clarior in ea re catholicæ ueritatis ſit approbatio, & pro eccleſiaſticæ aduerſantibus aſſertioni quaſdam adducere rationes haud inutile ratus ſum. Et quidem primaria conſideratione uideri poſſet,ſtultum eſſe dicere,præceptionis eccleſiaſticæ tranſgreſſori æternæ mortis imminere pœnam. Quandoquidem in diuinis ſolùm mandatis ea ipſa obſeruantibus & præſentaneæ benedictionis, & æternæ uitæ præmia ſacer canon propoſita afferat: ac illa tranſgredientibus & temporaneæ maledictionis, & perpetuæ mortis pœnam

comm

comminatam eſſe:Vnde Moſes ad Iſraëliticum populum
Deut. cap.8. in Deuteronomio, Obſerua & caue ne quando obliui-
ſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, atq; iu-
dicia, & cerimonias, quas ego præcipio tibi hodie. Et ante
dixerat: Omne mandatum quòd ergo præcipio tibi ho-
die, caue diligenter, ut facias, ut poſsitis uiuere, & multi-
3.Reg. cap.9. plicemini. Præceperat autem ſolum Moſes quæ à Deo ac-
ceperat, & mandata erant. Et propterea dominus ad Sa-
lomonem ait: Si ambulaueris in uijs meis, & cuſtodieris
mandata mea, ſicut fecit pater tuus, longos faciam dies
Deut. ca.28. tuos. Et rurſum Moſes in Deuteronomio: Si cuſtodieris
uocem Domini Dei tui, ut facias atque cuſtodias manda-
ta eius, quæ præcipio tibi hodie: faciet te dominus excel-
ſiorem cunctis gentibus quę uerſantur in terra, Et iterum
Citat ca.28. in eodem Deuteronomio per os Moſi obſeruanti Dei
mandata multæ promittuntur benedictiones. Et apud
Eſa. cap.44. Eſaiam: Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet
quaſi flumen pax tua. Rurſum in nouo Teſtamento apud
Ioan. cap.8. Ioannē begniſsimus redemptor: Si quis ſermonem meum
ſeruauerit mortem non uidebit in æternum. Et iterum
Ioan. cap.12. apud eundem: Mandatum tuum uita æterna eſt. Et apud
Matt. ca.19. Matthæum: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Lo-
quitur planè Chriſtus de diuinis mandatis. Hinc diuina
Prouerbior. cap.7. Sapientia in Prouerbijs: Serua mandata mea, & uiues.
Vtroque idcirco inſtrumento diuina obſeruantibus man
data multiplex benedictio & uita æterna promittitur: non
obſeruantibus uerò diuina mandata maledictionem &
mortem ſacra lex comminatur. Vnde uates regius ille Da-
Pſalm. 118. uid in Pſalmis: Maledicti qui declinant à mandatis tuis.
Tobiæ cap.3. Et optimus ille pater Tobias: Quia non obediuimus præ-
ceptis tuis, traditi ſumus in direptionem, in captiuitatem,
in mor

in mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus. Et Apoſtolus ad Romanos ſcribens ait: Inuentum eſt mandatum quod erat ad uitam, hoc eſſe ad mortem. Et complura ſimilia adduci poſſent, quibus in propatulo eſt, diuinam iuſtitiam ſua obſeruantibus mandata complures promittere benedictiones, uitamq; æternam. Tranſgredientibus uerò illa maledictiones, mortem etiam æternam comminari. Non profectò hæc ipſa in hominum mandatis comperiemus, ut pro illorum obſeruatione Deus benedictionem uitamq; ęternam promittat, & pro eorundem tranſgreſsione futuram gehénam comminetur. Et quum ea ipſa obſeruata uitam per ſe minimè tribuant, & ſi ad eam facilius obtinendam conducant, admodum diſſentaneũ abſurdumq; uideretur, quòd non obſeruata uitam auferant. Obſeruanti enim Dei mandata Chriſtus in euangelio ait, Hoc fac, & uiues. Promiſſam proinde à Chriſto uitam Dei mandata obſeruanti ob non obſeruatum hominis mandatum auferri poſſe, inſani planè, & delyri hominis foret aſſertio. Denique ut ſapiens ait, Dominus eſt, qui uitæ & mortis habet poteſtatem. Et propterea Chriſtus in euangelio ait: Eum timete, qui corpus & animam poteſt mittere in gehennam. Hinc magis attemperatè diuus Iacobus infit: Vnus eſt enim legiſlator, & iudex, qui poteſt perdere & liberare. Solius proin Dei eſt ſua obſeruanti mandata uitam condonare æternam: tranſgreſſori uerò necem inferre, & conſectaneè hominum mandatis, qui nec uitam dare, nec auferre poſſunt, uis hæc ipſa ad mortalem reatũ obligatiua haudquaquam ineſſe uidetur. Ex quibus uel manifeſtè confici poſſe uideretur haud tolerando abuſu eccleſiaſtici exercitus præfectos mortalis piaculi pœnam ſuis adijcere man-

Ad Roman. cap. 7.

Luc. cap. 10.

Sapiē. ca. 16.

Matt. ca. 15.

Iaco. cap. 4.

datis : uel etiam quod minus eſt, anathematis intermina-ri periculum. Quæ planè Chriſtianæ legi quàm diuus

Iacobi cap.1. Iacobus perfectæ libertatis aſſerit, uel palam aduerſari ui-derentur. Gratiæ nanq; lex ſeruili priſcæ legis iugo Chri-ſtianos liberauit eoſipſos ceu per adoptionem filios præ-mijs, & gratia in Dei ſeruitutem alliciens, non uelut ſer-uos pœnarum comminatione in obſequium adigens. Non

Ad Roman. cap.8. enim, ut Paulus ad Romanos ait, accepimus iterum ſpiri-tum ſeruitutis in timore: ſed ſpiritum adoptionis filiorum.

2. ad Timot. cap.1. Et rurſum ad Timotheum : Non enim dedit Deus nobis ſpiritum timoris, ſed uirtutis, & dilectionis. Ob quod di-

1. Pet. cap.5. uus Petrus dicere uidetur: Paſcite qui in uobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneæ ſecundum Deum. Et rurſum : Neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Timor autem prioris legis ſeruilis adiectæ carnalibus mandatis, pœnæ comminatio-ne conſtabat. Ob id Paulus Chriſtianæ eccleſiæ admini-

2. ad Corint. cap.3. ſtros ad Corinthios ſcribens monet ne hiſce commina-tionibus utantur, qui inquit : Et idoneos nos fecit mini-ſtros noui Teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem uiuificat. Intellexit enim literam comminatam in mandato mortis pœnam, dum ſtatim ſubiungit, Quod ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere fi-lij Iſraël in faciem Moſi propter gloriam uultus eius, quæ euacuatur. Quomodo non magis adminiſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis erit in glo-ria, multo magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria. Litera proinde, adiecta uidelicet mandato pœna (ut ple-

Aug. in libro de litera & ſpiritu. runque explicat diuus Auguſtinus) legi ſeruili conſenta-nea fuit: legi uerò Chriſtianæ admodum diſſentanea, quæ

præmijs

præmijs & amore fideles adoptionis filios compellare debet, non pœnarum timore in obſequentiam flectere. Eam ob rem diuus Ambroſius antiquæ Synagogæ & Chriſtianæ eccleſiæ ac utriuſque teſtamenti diſcrimen explanans, ait duas illas generationes, unam de ancilla, alteram de libera, duo eſſe Teſtamenta: Vnum quidem à monte Sina in ſeruitutem generans, in quo monte legem accepit Moſes à domino. Alterum autem ab Hieruſalem, quæ eſt libera, quæ Iſaac filios, hoc eſt in libertate gratiæ, non in literæ ſeruitute generauit. Seruis enim pœna decernitur, liberis confertur gratia. Sic ille.. Quibus manifeſtum fit, ſeruilem priſcæ legis conditionem eo uel maximè ſtare, quàm tranſgredientibus uelut ſeruis pœna mandato adiecta eſſet, cuius timore hi in debitæ ſeruitutis continerentur officio. Noua uerò Chriſtianorum lex gratiam confert, uitamq; pollicetur, non mortis pœnam comminatur. Eius idcirco adminiſtris conſentaneum minimè cenſeri poſſet, ſuis præceptionibus mortalis reatus pœnam tranſgreſſori comminari. Eo enim Chriſtianos adoptionis filios contra eorum dignitatem uelut ſeruos pœnarum timore regere ac moderari uelle uidentur. Quod item magis clarè Apoſtolus ad Galatas ſcribens præiudicaſſe uidetur, dum ait: Scriptum eſt enim, Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus quę ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. Recenſens quàm in Deuteronomio Moſes ſeruili priſcæ legi adiecerat maledicti comminationem in legis tranſgreſſores. Atqui ſubiungit Apoſtolus: Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno, &c. Per Chriſti igitur mortem precioſam maledictum legis pœnæ uidelicet comminatæ adiectio-

Ambr. ca. 3. lib. de Apolog. Dauid.

Ad Galat. cap. 3.

nem ſublatam eſſe manifeſtò Apoſtolus tradit. Quam ob rem & Chriſti crucem euacuare uideri poſſent (ut alibi Paulus ait) Chriſtianiſmi duces, dum ſuis præceptionibus maledicti, mortis, uel anathematis pœnam ſubſcribunt. Denique & quod admodum conſpicuum uidetur, decet Chriſtiani gregis duces ceu omnium ſpiritales parentes commiſſas ſibi oues paterno affectu in omni manſuetudine (ut Apoſtolus ait) admonere, & corrigere, minimeq; in filios ſæuire, uel crudelitatis quiddam exercere. Aſt quæ ſæuitia? quæ denique crudelitas patris in filium uideri poteſt, dum is illi diſciplinam uarijs præceptis denſat, ac tranſgreſſori ſtatim quum lex ipſa prodit uel anathematis, uel æterni reatus pœnam comminatur Apoſtolorum uerticis in ea re minimè obſequentes monitioni. Qui apud Lucam in Apoſtolorum Actis iugum hoc ſeruile inculcationis præceptorum cum pœnarum comminatione à ceruicibus Chriſtianæ plebis excutere uoluit: Vt quid, inquit, nunc tentatis ſupra ceruices diſcipulorum imponere iugum? quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiam CHRISTI IESV credimus ſaluari. Iugum enim ſeruitutis erat multiplicatis mandatis maledicti uel illorum unius & minimi tranſgreſſori comminata pœna. Cuius timore uelut iugo quodam ligati ſerui in debito continerentur officio. Longius proinde à Chriſtiana libertate, qua Chriſtus nos donauit, huiuſcemodi ſeruilis timoris pœnarum adiectione iugum amoliendũ eſt, nec crudelitas præferenda paſtorum. Hinc Paulus ad Corinthios: Quid uultis? in uirga ueniam ad uos? an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis? Virgam autem eam declarat ad Timotheum ſcribens: Argue, obſecra, increpa. Hæc enim paſtorum uirga eſſe debet, non mortis,

1. ad Corint. cap. 1.

Ad Epheſ. cap. 4.
1. ad Timot. cap. 6.

Act. cap. 15.

1. ad Corint. cap. 4.

2. ad Timot. cap. 4.

mortis, uel anathematis, quæ ſtatim quum primum præceptio editur, ſubſcribitur pœna. Et Chriſtus apud Lucam hanc diſciplinæ ſeueritatem in ſuæ eccleſiæ adminiſtris improbaſſe uidetur. Quum enim Apoſtoli ignem de cœlo petere uellent, ut conſumeret Samaritanos, qui IESVM Dominum intra ciuitatem ſuam recipere noluerunt: conuerſus increpans illos ait: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis: filius enim hominis non uenit animas hominum perdere, ſed ſaluas facere. Vindictæ igitur, & pœnæ in delinquentes expoſtulationem pientiſsimi redemptoris benignitas in ſuis diſcipulis futuros eccleſiæ duces præſignantibus admodum exprobrat: quanto magis eam acerbam, & acrē uel æternæ mortis uel anathematis pœnalem comminationem improbaſſe cenſetur. Sed quid? num uoluntarium, & non inuitum ſeruum quærit Deus? neque ad id quod bonum eſt, uult nos cogi: propter quod Apoſtolus ait, Si ex neceſsitate euangelizauero, non erit mihi gloria. Nam ſi inuitus hoc ago, diſpenſatio mihi credita eſt. Si autem uolens, mercedem habeo apud Deum. Et rurſum idem, quum ad pium eleæmoſynæ opus Corinthios moneret, Vnuſquiſque, inquit, det, prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſsitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Imò plane ſpiritalis ratio legis huic pœnarum coactioni contradicit. Ob quod Paulus ad Galatas ait: Si ſpiritu Dei ducimini, non eſtis ſub lege, carnalium minante & cogente. Quia ſpiritus Dei filios adoptionis efficiens libertatem ueram tribuit, & ſeruitutem amouet.

Luc. cap. 9.

1. ad Corint. cap. 9.

2. ad Corint. cap. 9.

Ad Galat. cap. 5.

Præclaris diuini canonis teſtimoniis, ſanctorumq́ eccleſiæ Dei doctorum aſſertionibus, eccleſiaſticorum admini-

ſtrorum præceptionibus uim ad æternæ mortis pœnam obligatiuam ineſſe demonſtratur.

HAec ipſa profectò non parum pſeudoeuangeliſtarum temerariæ ac procaci aſtipulari aſſertioni uiderentur, ac eccleſiaſticæ traditioni aduerſari. Apud eos tamen ſolos concludunt, qui incompertarum ſibi rerum altitudinem minime coniectant, neque amplius ad profundum uſque ueritatem perquirere ſtudent, pertinacius tamen propriæ hærent ſententiæ: Vnde uel merito pleno caligant meridie. Nempe ſi uel mediocriter in ſacris eruditus literis attentius quę ad hanc rem pertinent, animaduertere uelit, mox illi in propatulo erit eccleſiaſticis mandatis etiam non ſecus ac penè diuinis & euangelicis ad æternæ mortis pœnam obligatiuā ineſſe uim, eamq; anathematis etiam pœnam eccleſiæ duces ſuis præceptionibus comminari, ac ſubſcribere iure optimo potuiſſe non modò, uerùm & plerunque debuiſſe. In primis etiam hominum quibus ducatus, & aliorum moderatio credita eſt, obſeruata mādata eam à Deo promereri benedictionem,
Hiere. ca.35. quàm ſua ex ſequentibus pollicetur, per Hieremiam in Rachabitis filijs Ionadab ipſe declarat. Pro eo, inquit, quòd obediſtis præcepto Ionadab patris ueſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, &c. Non deficiet uir de ſtirpe Ionadab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. Ob-
Ionæ cap.3. ſeruant & Niniuitæ indictam à principe abſtinentiam, quæ diuinam comminatam flectit ultionem, atque è mortis periculo ad uitæ libertatem. Contrà uerò adminiſtrorum mandatis minimè audientes hiſce plecti maledictionibus quibus diuinarum præceptionū tranſgreſſores percuti ſolent, ſacer canon minimè reticuit. Nam in Deute-
Deut. ca.17. ronomio Moſes ipſe poſteaquam antiquæ ſubditum Sy-

nagogæ monuerat, & iuſſerat facere, quodcunque dixiſſent,qui præerant loco,qué elegerat dominus, inobedienti pœnam ſubſcribit: Qui autem ſuperbierit, inquit, nolens obedire ſacerdotis imperio,qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo,ex decreto iudicis morietur homo ille, cunctusq; populus eum audiens timebit. Et rurſus in eodem Deuteronomio idem Moſes ait: Si genuerit homo filium contumacem,& proteruum,qui non audient patris ac matris imperio,& coërcitus obedire contempſerit, apprehendent eum, & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij,dicentq; ad eos: Filius noſter iſte proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus uacat,& luxuriæ atque conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio ueſtri,& uniuerſus Iſraël audiens pertimeſcat. Atqui,ut inquit Hugo à ſancto Victore:Quum iubetur homo parentum audire imperio,non hoc ad carnales parentes ſolum referendum eſt, ſed ea potius præcipitur ratione, ut homo qui Deum in præceptis ſuis aliquando contempſit,nunc propter Deum homini ſuperiori obedientiam atq; honorem exhibere non dedignetur. ſic ille. In priſca igitur lege hominis ſuperioris mandata tranſiliens eiſdem iubetur pœnis plecti, quas tum diuinorum mandatorum tranſgreſſor patiebatur. Clarius denique iſtuc ipſum in libris Regum approbatur. Saul nanque Iſraël rex bellum contra Allophilos gerere uolens, ut ſibi Deum propicium haberet, uniuerſo exercitui abſtinentiam ieiuniumq; indixit: piæ quidem deuotionis exuberanti affectu, non præcepti in decalogo ſcripti ui uel aſtrictione. Quam quum præceptionem Ionathas præcipientis filius,ac huius præcepti neſcius, inter medias acies hoſtium

Deut. ca.21.

Hugo de præcept. parte 3. ſuorum operum.

1.Reg.ca.14.

hoſtium uictor incedens, mellis fauum intincta ſceptri ſummitate guſtando tranſgreſſus eſſet, tanta ſubito indignatio commota eſt, ut & differretur uictoria, & læderetur diuinitas: denique nec bello finis imponitur, nec regi reſponſum propheticum datur: unius culpa, cunctis confertur ignauia, & unius delicto omnibus generatur infirmitas. Defecitq́; mox trepidans exercitus uirtute ubi defecit abſtinentiæ præcepti obſeruatio. Quod ut peccatum Saul ex ipſa diuinitatis offenſione cognouit, ſtatim Ionathæ dixit non ei parcendum, ſed peccatum admiſſum ſanguinis eius effuſione expiandum: tanta apud Saul regem tum fuit religionis obſeruantia, ut offenſum Deum tranſgreſsione mandati parricidio mitigare uellet: uixq́; ignarus præcepti Ionathas populi acclamatione à mortis ſupplicio eximitur. Quo uel palam eſt, mandata hominum, quæ ad Dei prouocandam miſericordiam, auxilium, & opem emanant, obſeruari diuinæ beneplacitum uoluntatis eſſe: ac ob uiolationem & tranſgreſsionem mox diuinitus ſupplicia inferri. Nec tamen id Saul regis mandatum diuinum eſſe, uel prophetica annunciatione prodiſſe, ſacer canon explicat. Sed reuera mandatum erat pij beneq; affecti hominis in Deum uniuerſum exercitum dirigere uolentis. Quanto magis eccleſiæ adminiſtrorum prę ceptiones, quæ ad benè beateq; uiuendum nō parum conducunt, & ſancti ſpiritus inſtructione emanaſſe creduntur deuoto mentis affectu à Chriſtianæ militiæ uniuerſo exercitu obſeruari debent: eorumq́; tranſgreſsione & uiolatione diuinitatem ipſam offendi credendum eſt: ut & uel quæ prope erat aduerſum antiquum hoſtem uictoria deturbetur: & ſicut temeratori pro placanda diuina iracundia tum mortis corporalis pœna imminebat, non ſecus ac diu

ac diuinorum antiquæ legis præceptorum tranſgreſſoribus, ſic in gratiæ lege, in qua diuinum uiolanti mandatum ſpiritalem necem CHRISTVS comminatur, haud abſimilem eccleſiaſticæ obaudientem præceptioni pœnam manere non temerè arbitrari poſſumus. Quod clarius in nouo Teſtamento Paulus explicat: ad Romanos enim ſcribens ait: Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Quod peramplius & paulò luculentius demonſtrare placet utroque planè inſtrumento, parentibus ſpiritalibus ac Chriſtiani exercitus ducibus per omnia obediendum eſſe: modò iuxta, non contra legem præcipiant,in ſuperioribus approbauimus. Ipſosq; præpoſitos etiam ultra euangelica mandata præceptiones quaſdam pro illis facilius ſubſtinendis adijcere potuiſſe, quinimo & debuiſſe. Hinc præſcriptionem dirigamus eccleſiæ adminiſtris præcipientibus etiam ultra lege euangelica expreſſa, modò non contra, obedire diuino ac Apoſtolico aſtringimur mandato, ut primo huiuſce uoluminis libro ſatis amplè diſſeruimus. Si idcirco illorum obaudiamus mandatis diuinæ iuſsionis temeratores arguimur indeq; æternæ pœnæ nos addicimus. Quo fit,ut ſi fortaſſe eccleſiaſtici ui mandati illius tranſgreſſor ſpiritalis necis uinculo minimè aſtringatur:uelut tamen diuini præcepti uiolator,quo ſuperioribus per omnia obedire oportet,ſi contra Deum nihil iniungant,æternæ mortis pœnæ ſe ſubdere uidetur.Hanc profectò ſentẽtiam affirmat diuus Ignatius Apoſtolorum diſcipulus inquiens. Dignum eſt ergo & uos obedire epiſcopo ueſtro, & in nullo ei contradicere. Et paulò pòſt ad hanc rem appoſitiſsimè: Quoniam uerò negotia finem habent, & adiacet quidem uita ex

Ad Roman. cap. 13.

Ignatius in epiſt ad Magneſianos pagin. 3. & 4.

i obſer

obſeruatione, mors uerò ex inobedientia: & neceſſe eſt, ut unuſquiſque in loco quem ſibi de præteritis elegerit, in futuro eſſe præcipiatur. Fugiamus ergo mortem, & eligamus uitam. Sic ille. Admodum conſpicuè diuus Ignatius idcirco aſſerit inobedientibus epiſcoporum mandatis mortis imminere pœnam, obedientibus uerò uitæ præmium pollicetur. Sed quid aliud idem Ignatius aſſerit, dum ad Trallianos ait, eccleſiæ adminiſtrorum præcepta ſicut ignem ardentem obſeruari oportere. Ignis enim ardens niſi diligenter obſeruetur, exhalat & exurit, & in combuſtionem ducit. Ita hæc quoque eccleſiaſtica præcepta niſi diligenter obſeruentur, in combuſtionem adducunt. Itemtidem planè affirmat diuus Cyprianus: Nec putent, inquit, ſibi uitæ conſtare rationem, ſi ſacerdotibus non obediant. Quod & luculentius diuus Auguſtinus affirmat, inquiens: Debemus ergo eam quam profeſsi ſumus obedientiam ex uirtute & opere cuſtodire: quod tunc agimus, quum eum qui nobis præeſt, pro amore Dei honoramus, & diligimus, & quicquid ab eo nobis præcipitur tanquam ab ipſo cœleſti domino fuerit imperatum libenter implere feſtinamus. Prælatus enim Chriſti uices agit in miniſterio: unde ipſe ſuis paſtoribus ait: Qui uos audit, me audit: & qui uos ſpernit, me ſpernit. Sicut enim gaudere debent, & magnum à domino præmium expectare, qui libenter obediunt. Quia quod ipſi maiorum iuſſu faciunt, hoc ipſi autore Deo impendunt. Sic nimirum magnum à Deo iudicium timere & expectare debent, qui prælatorum ſuorum iuſſa deſpiciunt. Quia quum prælatus contemnitur, non ipſe, ſed is cuius loco poſitus eſt, contemptui habetur. Nec poteſt Deus à nobis ſine magno fructu honorari, nec deſpici ſine magno detrimento.

Ignatius in epiſtola ad Trallianos.

Cypr. epiſt. 3. lib. 1.

Auguſti. ad frat. in eremo. ſerm. 61.

Sic

Sic ille. Sed magis expreſſe uenerandus ille pater Hugo à ſancto Victore idipſum aſſeuerat dicens, mobiles præceptiones ea circa ferri quæ à lege diuina & naturæ in arbitrio relicta ſunt: ut pote quæ æquo iure fieri uel prætermitti poſsint. Accedens autem, inquit, mandatum ita quod in medio poſitum erat, in alteram partem deflectit ut à modo quod prohibitum eſt, ſine mortali culpa fieri non poſsit, nec quod præceptum eſt, prætermitti. Neque hoc (ait) natura rei facit, ſed uis & obedientia mandati. Manifeſtè hinc aſſerens, mobilibus præceptionibus, quæ circa & lege diuina, & naturali pro hominis arbitrio relicta uerſantur, ad æternæ mortis reatum uim obligatiuam ineſſe. Quod & Hieronymus aſtruit: exponens enim illud Sapientis, Et qui diſsipat ſepem mordebit eum ſerpens. Sepis autem (ait) maceriæq́; uulſio eccleſiaſtica dogmata ſunt, & inſtitutio ab Apoſtolis Prophetisq́; fundata: quæ quis diſſoluerit, & uoluerit præterire, à ſerpente percutitur: de quo ſerpente in Amos eſt ſcriptum: Si deſcenderint in infernum, mandabo ſerpenti, & mordebit eos. Dogmata igitur eccleſiaſtica per negligentiam prætereuntes à ſerpente inferni morderi, ſicq́; æternæ mortis ſubijci periculo uel liquido Hieronymus affirmat. Idem quoque ante Hieronymum aſſeruiſſe uidetur doctus Origenes, dicens ſimiliter, Et matrem reuereri oportet: intelligit de eccleſia. Obſeruare etiam (ſubiungit) omne mandatum quod nobis pudicitiam, caſtitatemq́; commendat, ut neq; in præſenti uita obnoxij ſimus morti, neque ſecundum ſpiritalem futura nos pœna maneat ignis æterni. Sic Origenes ſentiens planè hiſce uerbis eccleſiæ mandata, quæ morum pudicitiam, & uitæ caſtitatem iubent, & ſanciunt, ſub æternæ mortis periculo obſeruanda eſſe. Hoc & rur-

Hugo à ſancto Victore in lib. de ſacramẽ. parte 12. cap. 9 ſuorum operũ parte tertia.

Hierony. ſuper Eccleſ. cap. 10.

Orige. ſuper lẽtu hom. 12.

Hugo à ſancto Victore lib. Miſcellaneorum 1. cap. 195. parte 3. ſuorum operum.

ſum & multò clarius Hugo à ſancto Victore differere uidetur dicens: Præcepta quæ ex ratione ſunt (id eſt, ſi quæ ratio promulgari iubet: quales certè ieiunij abſtinentiæ, feſtorum cultus, & id genus eccleſiaſticæ præceptiones ſunt: quæ uel neceſſaria ratione, ut huiuſce præcedenti uoluminis libello deduximus, ab eccleſię adminiſtris Chriſtianiſmo dari debuerunt) ex debito obedientiam exigunt: non obedire uerò pœnalis culpa eſt. In alijs, quæ ſecundum rationem perfectioris conſilij iniunguntur, obedire meritum, non obedire uenialis infirmitas. In ijs quæ præter rationem præcipiuntur, obedire perfectum eſt, non obedire minus laudabilis bonitas: & cùm in ſecũdo membro non obedientiæ culpam uenialem eſſe dicat, in primo clarè ſentit, inobedientiæ reatum eſſe mortalem. Quum idcirco ex ratione fermè neceſſaria omnia penè eccleſiaſtica mandata proceſſerint, conſequens eſt, inobedienti grauis mortaliſq; culpæ ex Hugonis ſententia imminere reatum.

Vitæ & necis poteſtas in gratiæ lege CHRISTO *homini attributa ab illo eccleſiæ paſtoribus communicata fuit, ut ſuis præceptionibus licite in tranſgreſſores æternæ mortis pœnam, uel anathematis ſubſcribere poſſint.*

PORrò eam eccleſiæ ducibus poteſtatem eſſe, ſuis præceptionibus, & mandatis, etiam in æternæ mortis periculum tranſgreſſores adigere ualeant, uel palam facere operæprecium erit. Ante Chriſti aduentum hanc uitæ neciſq; poteſtatem ſoli Deo competere, ac nondum homini communicatam ſacra uidetur aſtruere pagina. Aſt CHRISTVS formam ſerui accipiens, ea hominem beneficia dignatur, ut quod ipſe ſemper Deus habuerat, ut homi

homini ſibi datum euangelica uoce annunciet. Apud Matthæum enim, quum ad patrem tranſire uellet, diſcipulosq́; in uniuerſum orbem euangelizaturos mitteret ait: Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes. Dum ait pientiſsimus redemptor, Data eſt mihi: iam manifeſtè declarat, & ut homini eam conceſſam eſſe omnem poteſtatem, quam antea ut Deus ab ęterno habebat. Neque enim Chriſto, ut Deo ea poteſtas data cenſeri poſſet, quam ſemper habuit. Quumq́; eam ſe etiam ut hominem habere poteſtatem prædixiſſet, ſubiungit: Et ecce ego ſum uobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi: futuram ad conſummationem uſque pollicetur præſentiam, & aſsiſtentiam diſcipulis omnes eccleſiæ poſteros adminiſtros præſignantibus, qua conſectaneè intelligant ſecum eſſe, & operari eum cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, eamq́; iam ſibi ut homini tributam hominibus uice ſui agentibus communicauit. Quod clarius benigniſsimus ſaluator apud Ioannem explicat, inquiens: Pater uenit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti ei, det uitam æternam: hæc eſt autem uita æterna, & cætera quæ ſequuntur. Eam autem ſibi collatam omnis carnis poteſtatem, quam ut homo acceperat, & ut Deus ſemper habuerat, ſe hominibus adminiſtris ſua uice communicaſſe paulò pòſt ait. Et ego claritatem quàm dediſti mihi dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ea enim uniuerſæ carnis poteſtatis attributione uel facilè unitas conſeruatur, ut planè in ſequentibus ediſſeremus. Sed & eam ſpiritalium, uitæ & necis poteſtatem in Apoſtolorum & diſcipulorum perſona omnibus futuris eccleſiæ adminiſtris con-

Matth. cap. ultimo.

Eod. Matth. cap.

Ioan. cap. 17.

 ceſsiſſe,

ceſsiſſe, & communicaſſe, apud eundem Ioannem Chri-
Ioan. cap.20. ſtus declarat: Pax uobis: ſicut miſit me pater, & ego mitto uos. Dederat ut homini eum mittens pater uniuerſæ carnis poteſtatem, ſpiritalis ſcilicet uitæ, & mortis: ita & ipſe mittens Apoſtolos & diſcipulos. Et propterea ſubiungit diuus Ioannes: Hæc quum dixiſſet, inſuflauit, & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quid remittere peccatum? niſi ad uitam reſtituere? peccatum enim mors eſt, ſublata morte uita reparatur. Habent igitur eccleſiæ prꝫlati uitæ poteſtatem, habent deniq; necis, quum dicitur, Et quorum retinueritis, retinentur. Retinere enim peccatum eſt, retinere mortem: ſicq; dum peccati retinendi poteſtatem eccleſiæ adminiſtri acceperunt, necis poteſtatem habent. Sed quid aliud ſonant piiſ-
Matt. ca.18. ſimi apud Matthæum ſaluatoris uerba, dum ait: Si peccauerit in te frater tuus uade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c. quod ſi non audierit, dic eccleſiæ: ſi autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Eccleſiæ autem poteſtatem demonſtrare uolens, mox ſubiungit: Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cœlo: & quęcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Quibus uerbis eccleſiæ adminiſtri ligandi, & ſoluẽdi pleniſsimam recipiunt poteſtatem, ut ad mortem ſpiritalem ſuis præceptionibus obligare poſsint, & iterum per impoſitionem manus, & abſolutionem, indictum mortis uinculum ſoluere. Vnde licet de Deo dicatur, quòd ſolus habet poteſtatem uitæ & necis: tamen gratia, & indulto, & pientiſsimi redemptoris beneficio, hoc ipſum conceſſum eſſe hominibus Chriſtiana cenſura profiteri cogimur. Sicut & alibi dicit

dicitur, Deus qui ſolus mirabilia facit: & tamen de iuſto homine etiam ſcriptum reperimus, Fecit enim mirabilia in uita ſua. Per hominem ſi quidem Deus mirabilia facere dicitur. Sic & ſolus Deus uitæ & necis poteſtatem habet: & uitam, dum ſuorum ſacerdotum obtemperatur præceptis, pollicetur: & tranſgredientibus mortis pœnam ingerit ſacerdotum adminiſterio. Enimuerò Deus in homine facit, quod Deus per eum facit. Nec idcirco dici in eo hominem agere nihil, quod Deus per eum facit. Quinimo uerius, melius item facere cenſetur, quia per eum Deus operatur. Itaque in eccleſiaſticis præceptionibus CHRISTVS per adminiſtros ſuos ad æternam mortis pœnam obligat. Nec minus adminiſtri id facere dicuntur, quòd eorum adminiſterio Chriſtus id agit. Et propterea diuus Ioannes Chryſoſtomus ait: Nemo contemnat eccleſiaſtica uincula. Non enim homo eſt, qui ligat: ſed Chriſtus, qui hanc poteſtatem dedit hominibus & dignos fecit tanti honoris. Sed multo luculentius idem Chryſoſtomus ad Baſilium de epiſcopi & ſacerdotis munere ediſſerens in eam ſententiam ait: Etenim qui terram incolunt, atque in ea uerſantur, his commiſſum eſt, ut quæ in cœlis ſunt diſpenſent: his datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neq; Archangelis datam eſſe uoluit. Neque enim ad illos dictum eſt, Quæcunque alligaueris in terra erunt alligata & in cœlo: & quæcunque ſolueris in terra, erunt ſoluta & in cœlo. Habent quidem & terreſtres principes uinculi poteſtatem, uerùm corporum ſolùm. Id autem, quod dico ſacerdotum uinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pertingit: uſque adeo, ut quæcunque infernè ſacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè

rata

Pſalm. 71.
Eccleſ. ca. 31.
Chryſo. lib. 3. de ſacerdot.

rata habeat,ac ſeruorum ſententiam dominus confirmet. Iam quid ipſum hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quorumcunque enim (ait) peccata remiſeritis, remittuntur: quorumcunque retinueritis,retinentur. Cedo? Quænam poteſtas hac una maior eſſe queat? Pater omnifariam filio poteſtatem dedit: cæterùm uideo ipſam eandem omnifariam poteſtatem à filio illis traditam. Nam ut iam in cœlum tranſlati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atq; adeo morbis affectibusq; noſtris liberi effecti: ita illi demum in principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc impertitus fuerit,ut poteſtatem habeat, quoſcunque uelit in carcerem conijciendi, eoſdemq; rurſus relaxandi: is nimirum beatus & admirandus iudicio omnium fuerit. Atqui à Deo tanto maiorem accepit poteſtatem,quanto cœlum terra precioſius eſt, quanto etiam animæ corporibus præſtant,&c. Et paulò infra: Qui fiet ut citra illarum ſacerdotum ſcilicet,manuum opem aut gehennę ignem euitare poſſit, aut repoſitæ in cœlo coronæ præmia aſſequi. Hi enim ſunt,hi ſunt, inquam, quibus quum creditæ ſint ſpiritales parturigines, per hoſipſos Chriſtum induimus, una cum Dei filio ſepelimur, beatæ carnis illius membra efficimur. Quo nomine ſacerdotes ipſos meritò non modò plus uereri debemus,quàm uel principes,uel reges: uerùm etiam maiori honore quàm parentes ipſos honeſtare. Et rurſum ſubiungit: Quare iudicio quidem meo, qui ipſos deſpiciunt contemnuntq;, multo ſceleratiores & maiori ſupplicio digni fuerint, quàm fuerit Dathan. Ille enim tametſi ad ſe principatum non ſpectantem ſibi uendicabat, tamen miram quandam de eo principatu opinionem

nionem animo conceperat: id quod declarauit ingens rei concupitæ ſtudium. Hi autem quum iam ſacerdotalis honos incrementum, ornatum, præſtantiam magnam accepit, contra quàm ille, ſed multo maiora audent. Neque enim perinde eſt ad deſpicientię rationem ſubducendam honorem aliquem indebitum appetere, & tot tantaq; bona faſtidire. Verùm facinus hoc quantum eſt illo grauius? quanto inter ſe diſsident interuallo faſtidium & admiratio. Quis ergo tam infelici genio natus, qui tanta bona faſtidiat? Equidem neminem exiſtere talem dixerim, niſi ſi quis furiarum œſtro percitus ſit. Hiſce conſequens erit, In gratiæ lege uitæ, & necis ſpiritalis poteſtatem homini Chriſto conceſſam, ſuis adminiſtris, uices ſuas in uia agentibus, ad conſummationem uſque communicatam fuiſſe, ut & ipſi uerè uinculum ingerant, & per eos Chriſtus, cuius adminiſtri ſunt, ligare dicatur. Hinc apud Lucam ait: Qui uos audit, me audit. Et rurſum, Qui uos reijcit, me reijcit, & eum qui me miſit. In confeſſo proinde erit, eccleſiæ adminiſtros ſuis præceptionibus ad mortale obligare poſſe.

Eccleſiaſticorum mandatorum tranſgreſſoribus grauiſſimam apud Deum imminere pœnam: illamq́ uel anathematis eccleſiæ paſtores ſuis decretis comminari potuiſſe, pleriſque quum ſacri canonis, tum & ſanctorum doctorum teſtimonijs admodum luculenter demonſtratur.

ID autem facere & potuiſſe, & debuiſſe, naſcentis eccleſiæ typis edocentur: Nam germano Chriſtianæ eccleſiæ ſtatu hanc fidelibus regulam fuiſſe Lucas commemorat, ut omnia illis communia eſſent: & qui in Chriſtia-

norum adlegebatur militiam, uenundatis quæ antea iure proprio poſsidebat, precium ad pedes Apoſtolorum pro uniuerſæ uſu communitatis ponebat. Hic canon, hic uiuendi modus primariæ eccleſiæ:hunc Ananias & Saphira uxor tranſgredientes, partem precij uenundati agri antè Apoſtolorum pedes ponentes, reliquam uerò occultantes, ſpiritui ſancto mentiri à Petro reprehenduntur: indeq; acerbiſsima ac præſentanea morte diuina ultione ad eccleſiæ miniſtri uerbum plectantur. Non ibi ſolum puniebatur mendacium,quod & inde naſcebatur, tum uiuendi regula,ad integrum offerendum precium Ananias & Saphira tenerentur, cuius proinde partem occultando, dum ſyncerum, & candidum uiuendi tranſgrediuntur inſtitutum, ſpiritui ſancto mentiri dicuntur, moxq; duriori plectuntur animaduerſione: hancq; tranſgreſsionis eccleſiaſtici canonis pœnam fuiſſe Lyrenſis affirmat,inde ſubinferens, eccleſiæ præceptiones uel grauioris inflictione pœnæ ſtatuendas, & firmandas eſſe. Nempe ut Lucas ibi commemorat, ea animaduerſione factus eſt timor magnus in uniuerſa eccleſia & in omnes,qui audierunt.Hæc profectò fuit ſanctorum Apoſtolorum ac naſcentis Chriſtianiſmi paſtorum uel pia & leuis,non crudelis ſeueritas, eccleſiaſticorum canonum tranſgreſſoribus eas proponere pœnas, quibus in uniuerſam eccleſiam uiolatæ legis timor diffamaretur. Non hic timor ſeruilis fuit,uelut à dominis ſeruis illatus,abſit ut hoc dicamus: iuxta enim magiſtri monita ſeruili pœnæ adminiſterio, non dominico Apoſtoli utebantur imperio. Sed fuit pia,& benigna parentum in filios, quos per euangelium genuerant, timoris diſciplina: ut tranſgreſſores eorum quæ ab eccleſiæ ducibus ordinata erant, uel prope diuinam eſſe ultionem co-

In Apoſtol. Act. cap. 5.

gnoſc

gnoſcentes, qui minimè adoptionis ſpiritum, & filiorum amorem haberent,propoſito timore in illum adigerentur. Voluit & Petrus eccleſiæ uertex,ut pio mentis affectu credere poſſumus, in eccleſiaſticæ regulæ tranſgreſſorem tum adeo ſeuerè animaduertere: clarum ut omni poſteritati Chriſtianæ faceret, quanta diligentia, quanta deniq; deuotione, eccleſiaſtici canones obſeruandi eſſent, & quam præpoſitorum eccleſiæ minimè dicto audientes, acerbam expectare ultionem debeant: huicq; uim eam etiam ad necis ſpiritalis pœnam obligatiuam eccleſiæ adminiſtrorum præceptionibus Deo ipſo autorante, & pœnam quam homo loqueretur infligente, ineſſe manifeſtè cognoſcerent. Vnde Moſes ait: In hoc ſcietis,quod dominus miſerit me,ut facerem uniuerſa quę cernitis,& non ex proprio ea corde protulerim. Si conſueta hominum morte interierint, & uiſitauerit eos plaga, qua & cæteri uiſitari ſolent, non miſit me dominus: ſin autem nouam rem fecerit dominus, & aperiens terra os ſuum deglutiat *Num. ca.16.* eos & omnia quæ ad illos pertinent,deſcenderintq; uiuentes in infernum, ſcietis quod blaſphemauerint dominum. Confeſtim igitur, ut ceſſauit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & ſubſtantia uniuerſa eorum, deſcenderuntq; uiui in infernum,operti humo,& perierunt de medio multitudinis. At uerò omnis Iſraël qui ſtabat per gyrum,fugit à clamore pereuntium, dicens, Ne forte & nos terra deglutiat. Sed & ignis egreſſus à domino interfecit ducentos quinquaginta uiros, qui offerebant incenſum. Hiſce uerbis Moſes ea cõprobari à domino aſſerit, quum pœnam ab adminiſtro comminatam infligit. Quum igitur enunciatam à Petro in eccleſiaſticæ regulæ tranſgreſ-

ſorem pœnam ſtatim Deus inflixerit, manifeſtè docuit, eccleſiaſticarum legum tranſgreſſori & prope diuinam eſſe ultionem. Sed age num Paulus Corinthijs uirgam minatur, dicens: Quid uultis? An uultis in uirga ueniam ad uos? An in charitate, & ſpiritu manſuetudinis? Et rurſum: Prædixi enim, & prædico, ut præſens uobis, & nunc abſens, his qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi uenero iterum, non parcam. Et paulò pòſt: Ideo enim hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem quam dedit mihi dominus, in ædificationem, & non in deſtructionem. Comminatur igitur Paulus, tranſgredientibus ſeſe pœnam illaturum: in hocq; ait ſecundum ueritatem ſe ambulare. Non poſſumus enim (inquit) aliquid contra ueritatem, ſed pro ueritate. Hanc enim explicat diuus Athanaſius: Nobis Deus contulit facultatem, ut ueram feramus ſententiam, & ueritati nihil aduerſantem. Is (ſubiungit Athanaſius) ad hanc rem accommodatè pro ueritate ſententiam tulerit, qui ſontem & noxium tormentis affligit: ueritatem uerò aduerſus ille decernit, qui nil delinquentem afficit pœnis. Veritati proinde Paulus (ut Athanaſius inquit) conſentaneum eſſe dicit, tranſgreſſoribus pœnas & comminari & infligere. Nec propterea aſſerit Paulus ſeſe poteſtate uti conceſſa in deſtructionem, ſed potius in ædificationem: uelut dicat (inquit Athanaſius) dominus quidem imprimis haudquaquam uult uel deſtruere, uel tormẽtis quempiam diuexare, ſed ædificare, hoc eſt afficere beneficijs. Alioqui his qui corrigi nequeunt ſi exitium inferatur, ædificationis loco habendum eſt. Itaque eccleſiæ duces dum pœnam præceptionibus eccleſiaſticis adijciunt, ſi ſontibus & haud obedientibus illa exitialis ſit, non in deſtructionem,

1. ad Corint. cap. 4.

2. ad Corint. cap. 13.

Citato cap. 2. ad Corint. cap. 13.

Athanaſ. aliâs Theoph. citato loco.

Athanaſ. aliâs Theoph. iã citato loco.

ſed potius in ædificationem comminata cenſeri debet:quo uel facilè oſtenditur, in ea re nimium abſurdè prælatos crudelitatis argui. Sed num & Paulus ait: Paratus ſum ulciſci omnem inobedientiam, quum cōpleta fuerit prior ueſtra obedientia. Paulus igitur euangelicæ ueritatis præco & tuba, inobedientiæ ſe ultionem allaturum comminatur, indeq; inobedientibus uindictæ pœnas comminari poſſe declarans. Sed quid immoramur? Num & Deus ipſe mobili præcepto primo parenti in innocentiæ ſtatu dato circa id quod lege diuina, uel naturali minimè prohibitum erat mortis pœnam in tranſgreſſorem adiecit. Quacunque, inquit, hora comedetis, moriemini. Tranſgreſsionemq; mox pœna ſubſequitur, cibi alioqui permiſsi accedens mobile mandatum ſub mortis interminatione etiam in ſtatu innocentiæ uſum interdicit. Iure igitur optimo potuere Chriſtiani gregis paſtores ſuis mobilibus præceptionibus etiam quæ circa ea feruntur, quæ alioqui lege diuina uel naturali minimè prohibita uel præcepta eſſent, ſed in medio pro arbitrio relicta, mortis pœnam comminari. Quum, ut prædictum eſt, uitæ & necis in gratiæ lege Chriſto homini attributa poteſtas illis communicata fuerit. Sed num & Apoſtoli ſpiritu Dei pleni, quum mobilem in primitiuo eccleſiæ ſtatu præceptionem ferunt, illi ſpiritalis necis obligatiuam uim ineſſe aſtruunt: aiunt enim: Nihil ultra uobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria: ut abſtineatis ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato. Iuſſam proinde, alioqui à cibis euangelica lege permiſsis, ſuiq; natura licitis, abſtinentiam: ut ſuſpicione abſque ſuſcepta fides perſeueret, dum à gentilicio ritu abſtinetur: & unitas conſeruetur, dum gentiles ad fidem conuerſi minimè cibis, quos Iudæi natura abhorre-

2. ad Corint cap. 10.

Geneſ. cap. 2.

In Apoſtol. Act. cap. 15.

horrebant, ueſcerentur : ad ſalutem neceſſariam aſſerunt. Eamipſam proinde quanquam æterna lege minimè ſancitam ſine mortalis peccati periculo prætermitti uel præteriri haudquaquam poſſe enunciant. Longe igitur magis eccleſiaſtici exercitus duces, quas labentis Chriſtiani gregis gliſcentibus morbis præceptiones, ceu malagmata admouerunt, ad ſalutem neceſſarias : indeq; tranſgreſſorem mortalis reatus pœna teneri enunciare potuerunt. Hinc diuus Cyrillus ait : Solet bonus legiſlator & præmia proponere his,qui obſeruabunt legem, & pœnas decernere præuaricatoribus : ut his abſterreantur à maleficio,illis uerò incitentur ad bonum. Haud ſecus (ſubiungit) legiſlator noſter Chriſtus paulò ante fructum, quem conſequentur credentes in eum, expreſsit : hoc uerò loco damnationem & pœnam,quam incurrent increduli,com minatorijs uerbis explanat dicens : Si quis audierit uerba mea,& non cuſtodierit, ego non iudico eum. Ego enim non ueni ut iudicem mundum, ſed ut ſaluem mundum: quemadmodum Chriſtus ad Nicodemum dixit, Non miſit Deus filium ſuum,ut iudicet mundum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Et alio loco:Non uenit filius hominis animas perdere, ſed ſaluare : nempe nunc tempus eſt miſericordiæ, non iudicij. Et propterea non iudicat hoc ſuo primo aduentu,qui non eſt ad iudicandum, ſed ad ſaluandum mundum. Ne autem (infit Cyrillus) quiſpiam exiſtimet propterea inobediẽtes terribile iudicium Dei euaſuros, ſubiungit : Qui ſpernit me, & non accipit uerba mea,habet qui iudicet eum. In rebus humanis qui non accipit mandata regis, ſed abijcit ea contemptione, & regem quoq; ſpernit : filius itidem qui non accipit uerba patris, ſed paruipendens irridet, is & patrem aſpernatur.

Cyrillus in Ioan. libro 8. cap. 24.

tur. Nimirum igitur qui non accipit uerba Chriſti, ſed reijcit, reuera Chriſtum ſpernit, & horrendo reſeruatur iudicio. Sic ille. Quum igitur eccleſiæ duces Chriſti imitatores (ut Paulus ait) eſſe debeant, ſicut is ſummus legiſlator ſua obſeruantibus mandata præmia proponit: non obſeruantibus uerò futuræ gehennæ iudicium comminatur. Haud ſecus eccleſię adminiſtri tranſgredientibus pœnam æterni reatus ſubſcribere potuerunt. Quum illis (ut prædiximus) Chriſtus, quam acceperat ut homo, & quam habuerat ſemper ut Deus, uitæ & necis poteſtatem communicarit. Nec ob id legi gratiæ & miſericordiæ diſſentaneum uel quiddam agunt: ſicut nec Chriſtus, qui mundum ſaluare, & non iudicare uenerat, non quidem in uiæ ſtatu, ſemper enim tum locus ueniæ, locus miſericordiæ, ſed futurum ſupereſt iudicium, quod comminari, Chriſtum imitando, poſſunt eccleſiæ adminiſtri, illius uicaria fungentes poteſtate: ut gehennæ propoſito timore, à malis abſterreant præuaricatores. Vnde Athanaſius, Deterrendi ſunt, inquit, contumaces, & inobedientes gehennæ comminatione. Et diuus Ambroſius dicit: Sunt enim qui neſciunt benefacere, niſi metu pœnæ. Præſertim autem anathematis pœnam & comminari & infligere tranſgredientibus præcipientes eccleſiæ adminiſtri & potuere, & debuere: atque ea comminatione, imò & reali pœnæ inflictione, non in eos crudelitatem exercere, ſed potius eiſipſis benefacere cenſentur. Paulus nempe ad Theſſalonicenſes ſcribens ait: Vos autem fratres nolite deficere benefacientes. Quòd ſi quis non obedierit uerbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur. Quæ uerba explicans diuus Athanaſius ait: Nam ſi illi, tranſgreſſori ſcilicet, te ſimulaueris

Ad Epheſ. cap. 5.

Athanaſ. aliâs Theoph. in epiſt. Pau. ad Tit. ſuper uerb. nō uiolentum.

Ambroſ. in epiſt. 64. li. 8.

2. ad Theſſal. cap. ultimo.

Athanaſ. aliâs Theoph. ſuper citatis

ſucc

ſuccenſere, in uiam forſan redibit, & forſan aliquid operabitur. Nolite igitur (inquit) deſinere his benefacere. Et dum ſubiungit Apoſtolus, Hunc ipſum notate: explicat Athanaſius, Habetoteq; à ueſtro commercio ſegregatum. Et poſtea ſubiungit idem Athanaſius: Vides quæ ex illius reiectione ſequatur utilitas, ut confundatur tandem neceſſe ſit, Nam ſi per ſe uel ſimplex mendicatio pudenda eſt, & ignominiam affert: quanto magis ſi ab aliorum cœtu ſepoſitus aliquis, & ſegregatus, aliquid capere ab ſeſe refugientibus cogitur, erubeſcat neceſſe eſt. Acerrimum ſanè olim ſupplicium uidebatur ab hominum conuerſatione ſeiungi. Si enim erat ab eo qui per inertiam & ſegniciem uitam duceret abſcedendum: quanto magis ab alijs procul eſt abeundum, qui maioribus fuerunt delictis obnoxij. Et idem Athanaſius ait: Qui enim contumax eſſet, & minus obediens, extra eccleſiam emittebatur, eijciebaturq; à cætero grege, & nudus mox, & deſertus lupis dedebatur in prędam, Nam quemadmodum olim nubes tabernaculum obducebat, ſic Chriſti eccleſiam ſpiritus. Quicunque ergo ex eccleſia fuerit eiectus, & ſpiritu ſancto priuatus: erit hic miſer perfacilis in capturam. Tanti eſt ab aliorum conſortio, & communione repelli cenſura iſtiuſmodi. Nanque mox Deus & peccatis obnoxios caſtigandi gratia, & malis afficit, & morbis urgebit: inquit enim, Quum iudicamur, à Deo caſtigamur. Quum igitur diuina ipſa bonitas & innocentiæ ſtatu antè tempora ſeruilis legis, & eo tempore, quo homo ut filius non ut ſeruus tractabatur, mobili ultra æternæ legis mandata adiecto præcepto mortis pœnam ſubſcripſerit, eamq; Apoſtoli ſuis præceptionibus ineſſe & enunciauerint, & tranſgreſſorum animaduerſione demonſtrauerint, ac plerunq;

Athanaſ. alias Theoph. Apoſt. uerb. in epiſtol. ad Timotheum in uerb. quos tradidit Satanæ, &c.

Paulus

Paulus ſpiritalis pœnæ ſeueritatem comminetur,quinimo & Chriſtus ſummus legiſlator, qui mundum ſaluare, non iudicare uenerat,ſuis in mandatis illam comminatus fuerit, ſi diuo Cyrillo credamus: potuere iure optimo eccleſiæ duces, CHRISTI uicem in terris obtinentes communicata illis à Chriſto poteſtate,eam futuræ gehennæ comminari pœnam.

Diluuntur quædam è regione pro pſeudoeuangeliſtis adducta rationes, & clarè oſtenditur, pœna mobilibus præceptionibus inhærente uel illis ſubſcripta minimè Chriſtianam lædi libertatem: nec illas ob id priſcæ legis ſeruilibus mandatis per gratiam CHRISTI IESV *in noua lege ſublatis ſimiles cenſeri poſſe.*

NEc poteſt tacita hæc mandatorum eccleſiaſticorum uis ad reatum obligatiua mortalem, uel etiam expreſſa pœnæ anathematis, uel æternæ mortis ſubſcriptio, & comminatio Chriſtianæ aduerſari libertati cenſeri. Neque inde prodiens timor ſeruilis uideri poteſt. Nempe, ut in ſuperioribus prędiſſeruimus, Chriſtiani duces gregis, Chriſti imitatores eſſe decet, ut Paulus ait. Is autem & terrore,pœnarumq; timore Paulum,quem ſibi electionis uas elegit, ad euangelizandi bonum compulit, ut Lucas in Apoſtolorum Actis commemorat. Indeq; diuus Auguſtinus,ad Bonifacium ſcribens,ualidiſsimum argumentum deſumit, pœnarum terrore & comminatione malos ad bonum cogi poſſe. Nec ob id (ut ſubiungemus) gratię legis uiolari libertatem. Sed num & rurſum Paulus ait: Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Sicq; opus id bonum uoluntarium eſt: & tamen ait Auguſtinus ad Donatum presbyterum ſcribens: Multi ut

Act. cap. 9.
Auguſti. ad Boniſac. citat Grat. in cap. ſchiſmatici. 23 q. 6.
1. ad Timot. cap. 3.
Aug. ad Donat. presbyter. citat Gratian. in cap. diſplicet. 23. quæſt. 4.

epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur, multi producuntur, includuntur, patiuntur inuiti mala quæ nolunt, donec eis adſit uoluntas ſuſcipiendi operis boni. Sed & in ueteri Teſtamento, in lege primùm naturæ, nónne Agar ancilla terrore & timore ad dominam ſuam redire cogitur, quæ ad hoc (ut Auguſtinus ait) affligitur, ut reuertatur: hinc inferens, & in lege noua pœnis & terroribus malos, ut ad bonum reuertantur, cogi poſſe? Sed num & Nabuchodonoſor rex uidens trium puerorum euidens miraculum, ad fidem Dei Danielis omnes pœnarum terroribus cogit ſubditos? ut latius infrà ediſſeremus. Verùm & in euangelio apud Lucam Chriſtus ait, ſui gregis monens paſtores: Quis ex uobis habet centum oues, & ſi perdiderit unam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam: & quum inuenerit, ponit in humero ſuo gaudens? Eo parabolico ſermone nos docuit CHRISTVS, paſtores perditas perquirere debere oues, & ſuis humeris in gregem (ſicq; inuitas) portare. Inde manifeſtè confici poteſt, commiſſas oues à paſtoribus minimè propriæ relinquendas uoluntati, ſed gehennæ comminatione, pœnarumq; terrore perditas reduci debere. Sed rurſum, & magis appoſitè ad hanc rem diuinæ ſapientiæ ordinem intueri licet, ut diuus Cyrillus in Leuiticum ait: Non enim continuò pœnas cum primis ſtatuit præceptis: uult enim, ut non metu pœnæ, ſed amore pietatis patris præcepta cuſtodias. Sed ſi contempſeris, non tam homini iam, quàm contemptori mandatur pœna. Primò ergo benignitate prouocaris, ut filius. Ego enim dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Quòd ſi filius eſſe obediens non uis, contemptor plecteris ut ſeruus. Sic ille. Idcirco qui libertate ſpiritus uelut adoptionis filij

Aug. ſuper Ioannẽ citat Grat. in cap. quãdo uult. 23. quæſt. 4.

Cyrillus.

filij amore in patrem liberatorem item minimè tota mente feruntur, etiam pœnæ timore, qui ut liberi noluerunt obedire,ceu ſerui propria ſeſe uoluntate ſeruituti adijcientes,reuocandi ſunt. Vnde pulchrè diuus Hieronymus inquit: Conſideremus, quòd filius ac ſeruus, in ſcripturis ſanctis uoluntate fiat, non neceſsitate naturæ. Qui enim ſpiritum adoptionis acceperit, in filium Dei uertitur: qui autem ſpiritum ſeruitutis,in timorem Dei ſeruus efficitur. Vult itaque primùm Deus, ut filij eius ſimus, & bonum uoluntate faciamus: ſi hoc conſequi nolumus, ut ſaltem ſeruos nos habeat, & à malis per ſuppliciorum formidinem recedamus. Et paulò infra: Seruus quoque honorat dominum ſuum, non eadem charitate qua filius:& tamen Deus omnipotens ſciens differentiam filij & ſerui, à filio gloriam, à ſeruo timorem expetit. Principium enim ſapientiæ timor domini, ut de timore ſeruorum ad filiorum gloriam tranſeamus. Sic ille. Proinde iſtuc ipſum diuinæ placet bonitati,ut qui ſpiritum adoptionis filiorum non habent, & pœnarum formidine ceu ſerui à malis recedant,& de timore ſeruorum ad gloriam filiorum tranſeant. Non idciro iniuſta ratione eccleſię adminiſtri ſpiritales in uia fidelium parentes quos ſpiritum adoptionis minimè habere, atque è recto calle detorſiſſe conſpexere, etiam pœnalium præceptorum futuram gehennam comminantium promulgatione,à malo reuocantes in amorem filiorum adigere potuerunt,& debuerunt. Quod & affirmare uidetur diuus Auguſtinus in quæſtionibus ueteris & noui Teſtamenti: ſaltem liber is inter Auguſtini opera inſeritur,licet à quibuſdam minimè Auguſtino adſcribatur: ibi inquit, Legis antiquæ ſententia ijs ceſſat, & aboletur, qui permanent in beneficio conſecuto: ijs autem,

Hierony. in Malac. Prophet. cap. 1.

Aug. q. 69.

qui redeunt ad hominem ueterem, refricatur legis autoritas: quia immemores beneficiorum redeunt ſub ſententia legis. Sed quid aliud, ad hominem redire ueterem? quàm peccati ſeſe addicere ſeruituti? ut enim Chriſtus in euangelio ait: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Eam ob rem, quum pœnæ lex (ut Apoſtolus inquit) propter tranſgreſſores poſita ſit, iam peccati ſeruo à uera Chriſtiana deſciſcenti libertate timor pœnæ incutitur, non autem libertatis filio ſpiritum adoptionis habenti: huic enim quantum ad pœnam, non eſt poſita lex. Iuſto uerò (ut Paulus ait) non eſt poſita lex: quia ipſe ſibi lex eſt. Intelligit quantum ad uim coactiuam, quòd pœna illi comminata non uidetur: licet illi ſit poſita lex (ut ſubiungemus) quantum ad directionem. Timor proinde non filijs ſpiritum adoptionis habentibus proponitur, ſed potius ſeruis ſua uoluntate factis, ut per huiuſmodi timorem in ueram Chriſtianam redigantur libertatem. Propter quod diuus Auguſtinus ait: Quum per timorem gehennæ continet ſe homo à peccato, fit conſuetudo iuſtitię, & incipit quòd durum erat amari: & incipit excludi timor à charitate, & ſuccedit timor caſtus, de quo id dicitur, quòd timemus ne tardet ſponſus, ne diſcedat, ne eo careamus. Ille utilis, ſed non permanet in æternum, ut iſte: propter quod rurſum idem Auguſtinus ait: Felix neceſsitas, quæ ad meliora compellit. Et iterum, & longè magis attemperatè idem Auguſtinus infit: Multis enim profuit quod experimentis probauimus: probamus prius timore uel dolore cogi, ut poſtea poſsint doceri, aut quod iam didicerant opere ſectari. Proponunt nobis quidam ſententiam cuiuſdam ſecularis autoris, qui dixit, Pudore & libertate liberos retinere ſatius eſſe credo, quàm metu. Hoc quidem

Ioan. cap. 8.

Ad Galat. cap. 3.

1. ad Timot. cap. 1.

Idem Aug. Pſal. 127. citat Grat. in ca. fin. 23. q. 6.

Idem epiſt. 5.

quidem uerum eſt. Sed ſicut meliores ſunt, quos dirigit amor: ita plures ſunt, quos corrigit timor. Nam ut de ipſo autore iſtis reſpondeatur, apud illum etiam legunt: Tu niſi coactus recte facere neſcis. Porrò autem ſcriptura diuina & propter illos meliores dixit, Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. Et propter hos inferiores, qui plures ſunt, ait: Verbis non emendabitur ſeruus durus: Si enim & intellexerit, non obediet. Quum dixit, uerbis eum non emendari: non eum iuſsit deſeri, ſed tacitè admonuit, unde debeat emendari, alioqui non diceret, Verbis non emendabitur: ſed tantum diceret, Non emendabitur. Alio quoque loco dicit, non ſolùm ſeruum, ſed etiam filium indiſciplinatum plagis eſſe coërcendum, & magno fructu. Nam tu quidem (inquit) percutis eum uirga, animam uerò eius liberabis à morte. Et alibi dicit: Qui parcit baculo, odit filium ſuum. Sic ille. Et in eam ſententiam diuus Gregorius non minus attemperatè inquit: Iam uerò ſi ruſticus tantæ perfidiæ & obſtinationis fuerit inuentus, ut ad Dominum Deum minimè uenire conſentiat: tanto penſionis onere grauandus eſt, ut ipſe exactionis ſuæ pœna compellatur ad rectitudinem feſtinare. Hæc ipſa profectò minimè arbitrij libertatem infringunt, ſed ut libera adueniat uoluntas efficiunt. Nempe ut diuus Auguſtinus ait: Nihil tam in poteſtate noſtra, ſicut uelle, etſi non poſſumus coactè uelle, quum uoluntas à coactione ſit immunis, propterea quòd libera eſt. Et oppoſitum in obiecto eſt, dicere quod quis uelit coactus. Sed pœnarum terroribus ad ſuum agnoſcendum errorem, bonumq; proſequendum, & malum effugiendum Chriſtianus adducitur, ut per Eſaiam Prophetam prædictum fuerat, Vexatio dat intellectum. Quia

Ioan.1.ca.4.

Gregorius

Aug. de libero arbitrio lib.3.

Eſa.cap.33.

per uexationem ad intelligendum uerũ mouetur homo. Et conſectaneè ratione cõſulente liberè uoluntas uult bonum, uel malum, & ſapienter eligit, ut Philoſophus ait. Non idcirco uoluntas ipſa cogitur, ſed uiolentia fit ſecundũ ſenſitiuam uel imaginatiuam partem, non in iudicio electiuo uoluntatis. Nec propriè dicuntur cogi, quum cogantur ad bonum, ut Auguſtinus ad Bonifacium ſcribit. Nempe bonum ex ſeipſis eligere deberent. Vnde diuus Ambroſius præclarè dicit. Sunt enim qui neſciunt benefacere, niſi timore pœnæ. Et Athanaſius, quem in pręcedentibus citauimus, inquit: contumaces, & inobedientes gehennæ comminatione deterrendos eſſe, ſicq́; utilis eſt & conducens pœnarum comminatio, ut quis conuertatur ad bonum. Bonum mihi quia humiliaſti me, ut diſcam iuſtificationes tuas, inquit regius uates. Et iterum: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. Vnde ſub timore poſtea fiet uoluntas ex charitate, quæ foras emittit timorem ſeruilem, ut diuus Ioannes inquit. Hinc in Hiſpalenſi concilio pulchrè dicitur, quod quibus pernicioſa eſt libertas, ſalutifera eſt ſeruitus. Ob quod diuus Auguſtinus inquit, Foris inueniatur neceſsitas, inde naſcetur uoluntas. Sicq́; quamuis uoluntas intranea hiſce pœnis minimè cogatur, illarum tamen comminatione ad rectam inducitur electionem. Sed nónne etiam medicus inuitum curat, & parentes contra nitentes filios caſtigant, ut idem Auguſtinus infit. Pœnarum igitur timor, & comminatio admodum ſalubris eſt Chriſtiano deſciſcenti à uera libertate, & ſpiritali ſapientia, ut in illam reducatur, & adoptionis filiorum ſpiritum recipiat. Timor enim (ut ait Ambroſius) ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad charitatem, charitas acquirit adoptionem, adoptio

Hæc tradere in ſententia uidetur Aug. & citat Grat. in ca. diſplicet. 23. q 4.

Citat Grat. ĩ ca. ſchiſmatici. 23. q. 6.

Ambro. lib. 8. epiſtolarũ.

Athanaſ. aliâs Theoph.

Pſalm. 118.

Pſalm. 82.

Citat Grat. in cap. octaua. 12. q. 2.

Auguſtin.

Hæc Aug. ad Boniſac. citat Grat. ĩ ca. ipſa pietas. 23. q. 4.

Ambroſ. epiſtol. 73. lib. 9.

adoptio hæreditatem. Neque exiſtimandum eſt, Chriſtianam libertatem in eo qui peccatis ſubijcitur ineſſe: ut enim præclarè idem Ambroſius ait: At non ille liber uidetur, cui dominatur ira: ſubijcitur enim iugo peccati: non enim iracundus peccatum effugit, qui autem peccatum facit, ſeruus eſt peccati. At non ille liber, qui ſeruit auaritiæ, non poteſt enim poſsidere uas ſuum: non ille liber, qui ſeruiens deſiderijs, & uoluptatibus uago fluitat errore: non ille liber, qui curuatur ambitu, ſeruit enim alieno imperio. Sed ille liber, qui poteſt dicere, Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate: eſca uentri, & uenter eſcis. Ille liber, qui ait, Quid enim libertas noſtra iudicatur ab infideli conſcientia? Libertas igitur ſapienti, non inſipienti conuenit. Quoniam qui deligat lapidem infundibulo, ſimilis eſt ei, qui dat imprudenti claritatem, ſeipſum uulnerat, atque ſibi potius dum intorquet iaculum affert periculum. Certè ſicut tormento acerbatur & germinatur malum ſaxi ruina, ſic inſipientis in libertate ruina uehementior eſt. Recidenda igitur inſipienti poteſtas, non adijcienda libertas eſt. ſeruitus enim ei conuenit, ideoq; addidit: Spinæ naſcuntur in manu ebrioſi, ſeruitus autem in manu imprudentis. Sicut ille ſuis uulneratur poculis, ita inſipiens ſuis factis: ille bibendo ſe peccato inſerit, iſte operando ſe culpæ adiudicat, & factis ſuis trahitur in ſeruitutem. Videbat ſe Paulus in captiuitatem trahi à lege peccati, & ideo ut liberaretur confugit ad libertatis gratiam. Non ſicut igitur liberi inſipientes, quibus dicitur, Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. In chamo, & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant tibi. Multa flagella peccatorum: quia multis flagellis opus eſt, ut eorum

Ambroſ. epiſtol. 6. lib. 2.

imprud

imprudentia coërceatur. Diſciplina hoc exigit, non inclementia. Denique qui parcit filio ſuo, odit filium ſuum. Quia ſimul unuſquiſque grauius ſuis peccatis flagellatur: grauia enim delictorum pondera, grauia criminum uerbera, ſicut onus grauantur graue, & infligunt animæ cicatrices, & putreſcere faciunt mentis ulcera. Deponamus igitur tam grauem ſeruitutis ſarcinam, renunciemus luxuriæ, ac delicijs, quæ nos quibuſdam aſtringunt nexibus cupiditatum, & uinculis ligant. Nihil enim proſunt deliciæ ſtulto, & quicunque à pueritia dederit ſe delicijs manebit in ſeruitute, ut uiuens mortuus ſit. Recidatur ergo luxuries, deliciæ reſecentur. Et ſi quis fuit luxurioſus, ualedicat ſuperioribus. Reciſa enim uinea fructum affert, ſemiputata frondeſcit, neglecta luxuriat: ideoq; ſcriptum eſt, Tanquam agricultura homo imprudens, & tanquam uinea homo egens ſenſu: ſi reliqueris eum, deſertus erit. Colamus ergo hoc corpus noſtrum, caſtigemus illud, redigamus in ſeruitutem: non illud deſpiciamus. Sunt enim membra noſtra arma iuſtitiæ, ſunt & arma peccati. Si eleuetur, arma iuſtitiæ ſunt, ut peccatum in his non dominetur. Si mortuum fuerit peccato, non regnabit in eo culpa, & erunt membra noſtra à peccato libera. Non obediamus igitur cupiditatibus eius, neque exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato. Sic ille. Chriſtianis igitur à uera deſciſcentibus libertate, peccati ſeruitute flagella & pœnas admouendas eſſe, quibus hi in adoptionem filiorum deducantur, cenſet diuus Ambroſius. Nec in hoc illis ſpiritales parentes graues ſunt, ſed potius benefici. Aſt nec etiam inde eccleſiæ præpoſiti noui Teſtamenti miniſtri litera, & non ſpiritu cenſeri poſſunt. Præmia nempe in ſpiritu fidei, & libertatis proponunt obedientibus: pœnam

nam uerò decernunt tranſgreſſoribus:non ut hos in præcipitum dent, ſed ut quos Dei amor non reuocat, pœnarum metu coërceant,indeq; de ſeruorum timore ad filiorum gloriam,ueramq; Chriſtianam libertatem tranſeant. Non hæc occîdit litera,ſed potius uiuificat,quum in ædificationem, & non in deſtructionem comminata uideatur. Denique ſi Auguſtino credamus,citata Apoſtoli explanantis uerba,Si litera (id eſt, ſubſcriptę mandati pœnæ timor opus producat) occîdit,ſpiritus autem uiuificat (id eſt, mandati fidei ſpiritu & filiorum amore obſeruatio) noui quoque Teſtamenti adminiſtri ſpiritu uiuificante, & non litera occidente eſſe dicuntur. Quia eorum miniſterij præcipuus ſcopus, & primaria eſt intentio, lenitate & miſericordia, gratiaq; ſacramentorum nouæ legis peccatis emortuos uiuificare: & non per pœnas, quas facile remittunt, occidere. Sed non propterea pœnarum impoſitione,& comminatione omnino abſtinendum eſt:quum ea ipſa conducere uidetur,ut Apoſtoli in primitiuo eccleſiæ ſtatu egerunt:ut enim ait Sapiens, Percute filium tuum uirga,& liberabis animam eius à morte. Vnde Chriſtus magnus ouium paſtor (ut Apoſtolus ait) & animarum noſtrarum epiſcopus,ut diuus Petrus inquit, cuius uicaria poteſtate eccleſiæ duces in uia funguntur, ad manendum ſecum nos inducit, ut pulchrè diuus Cyrillus ait partim cupiditate gloriæ, quam fructuoſi palmites conſequentur, partim formidine ignis, cui tradentur qui à Deo ſe ſeparant. Chriſti autem imitatores,qui illius obeunt functionem,eſſe decet,ut Paulus infit. Poſſunt idcirco non ſolùm futurorum enũciatione præmiorum creditas in Dei amorem adigere oues,ſed & formidine pœnæ à præceptorum terrere tranſgreſsione, & in mandatorum eccleſiaſtico-

Aug. lib de ſpiritu et litera.

Prouerb. 23.

Ad Hebr. cap. ulti.

1. Pet. 2. cap. ad finem.

Cyrillus ſuper Ioan. lib. 10. cap. 17.

rum obſeruationem illas inducere. Neque hoc ipſum ſpiritali libertatis legi aduerſatur, quum CHRISTVS illius autor illud exemplo docuerit. Tametſi uerò comminata pœna exitium inferat, nihilo ſecius Apoſtolus, prout intelligit Athanaſius, eam eſſe in ædificationē, ſicq; in uiuificationem, & non in deſtructionem ſiue occiſionem manifeſtè aſſerit. Propterea priſcæ legis adminiſtri erant operantes litera, quæ occidebat, imponentes ſcilicet re uera pœnas mortis, lapidationis, aduſtionis, & id genus ſimiles, quæ ſine ſpe reuocationis occidebant. Miniſtri uerò noui Teſtamenti per ſpiritum fidei neminem in uia ſine ſpe reditus iugulant, ſed adminiſtri ſunt ut redeuntes uiuificent. Si quis uerò inobediens fuerit, itaq; mortis pœnam incurrat, hanc adminiſtri pœnam inflixiſſe non uidentur, ſed delinquens & tranſgreſſor illi ſe addixiſſe. Et propterea Apoſtolus legis Moſaicæ tranſgreſſorem ſine miſericordia probato delicto interfici enunciat. In lége uerò gratiæ, quæ miſericordiæ plena eſt, ſemper peccantis & tranſgreſſoris expectatur reditus: propeq; eſt illi per collationem ſacramentorum miſericordia & uiuificatio. Et ita Apoſtoli uerba intelligunt diui Athanaſius & Ambroſius. Ob id diuus Ambroſius præclarè dicit, Suauis cibus miſericordia, iucundus cibus gratia, hoc cibos epulatur populus eccleſiæ: bonus cibus ſpiritus Dei, bonus cibus peccatorum remiſsio. At uerò ille perdurus cibus, rigor legis, terrorq; pœnarum: agreſtis cibus, obſeruantia literæ, potius quàm gratia indulgentiæ. Itaque ſpes illa miſericordiæ & gratiæ ſemper perſeuerans, donec è uia homo deceſſerit, Chriſtianos ad uiuificationem compellat: non terrore, & literæ obſeruatione, ut prior lex, ſine miſericordia interficit. Et ut in ſequentibus plenè ediſſeremus,

Athanaſ. a-lias Theoph.

Ad Hebræ. cap. 10.

Ambroſius.

remus, latè intereſt inter has pœnas quæ in gratiæ lege ſubſcribuntur, & eas quæ priori lege adiectæ erant poſt lapſum populi in idololatriã. Hæ nempe noui Teſtamenti ſpiritales ſunt, nec ullam præ ſe neceſſariam & præciſam coactionem ferunt: ſed conditionatam ſolùm, nihil proprij libertatem arbitrij lædentem: ac ſemper in illis locus ueniæ, locus miſericordiæ eſt. Pœna uerò antiquæ legis carnalis, & corporalis, illi conueniens præciſam omnino & neceſſariam coactionem inducebat, & ſine miſeratione, ut Apoſtolus ait, infligebatur: euidens igitur inter has diſcrimen eſt. *Ad Hebr. cap. 10.*

Peramplius approbatur pſeudoeuangeliſtarum refellendo rationes ui obligatiua eccleſiaſticorum mandatorum haudquaquam ſublatæ ſeruilis legis memoriam repeti, nec euangelicam propterea libertatem lædi pœnamq́ imminentem mobilium præceptionum tranſgreſſori minimè à Chriſto in lege noua ſublatam eſſe.

NEc propterea quod pœna ſpiritalis mortis tranſgredientibus eccleſiaſticas præceptiones ſubſcribatur, & comminetur, maledicti antiquæ legis memoriam illæ referre uideri poſſunt. Quippe huiuſce in priori inſtrumento maledicti comminata pœna, de qua CHRISTVS nos redemit, quantum ad præceptiones carnales, & ſeruiles, quæ populo datæ fuerunt poſtquam prolapſus eſt in idololatriam, ut ab idololatria reuocaretur, & uelut ſeruilis ſub iugo ſeruitutis pœnæ ſine miſeratione corporalis inflictione cōtineretur, intelligitur. Vnde Origenes ait: Chriſtus nos redemit de maledicto legis, ſeruilis & carnalis intelligit: non nos redemit de maledicto mandati, quantum ad pœnam ſpiritalem intelligendus eſt, nec de male- *Origenes ſuper Numer. homil. 11.*

dicto teſtimonij, nec de maledicto iudiciorum quatinus in nouo approbantur Teſtamento intelligi debet. Sed de maledicto legis, id eſt, ne eſſemus ſubiecti circuncíſioni carnis,nec obſeruationi ſabbatorum, alijsq; horum ſimilibus,quę non in mandatis,ſed in lege carnalium dicenda ſunt contineri.Et ſubiungit Origenes,ea ipſa quæ in priori lege iuſtitiæ exercitamenta contingebant, & Dei propenſiorem cultum minimè ſub maledicto legis, de qua Chriſtus nos redemit,contineri. In his quippe,quæ ſpiritalis uirtutis exercitia admouent gratiæ lex,maiorem perfectionem exigit,quàm antiqua.Niſi (ait CHRISTVS in *Matt. cap.5.* Euangelio) abundauerit iuſtitia ueſtra magis quàm Scribarum,& Phariſęorum,&c. Et rurſum quum in his maiora fieri,nec minora prætermitti debeant. Et quantum ad ea,dicit Origenes, lex non eſt ſublata, ſed adhuc manet. De ea enim lege generaliter intellecta loquitur ſaluator (ſubiungit Origenes) dum dicit,Quia non ueni ſoluere legem,ſed adimplere. Et idem alibi,Plenitudo ergo legis dilectio. In quo, inquit Origenes, ergo utique omnia ſimul quæ ſcripta ſunt in lege,legem nominauit. Maledictum proinde antiquæ ſeruilis & carnalis legis Chriſtus nos redimens ſuſtulit. Sed non mandatorum legem, nec ſpiritalem pœnam, quæ illi & antequam carnalis lex daretur, inerat: nec quæcunque ad ſpiritale pertinebant exercitium magis, quàm ad opus carnale, extruſa cenſeri poſſunt.Conſequens igitur erit,quum præceptiones eccleſiaſticæ neque carnales, neque ſeruiles ſint, (ut ſubiungemus) ſed ſpiritalis uirtutis exercitium promoueant, illis adiecta pœna non ſeruilis neque carnalis, ſed ſpiritalis maledicto legis, de quo Chriſtus nos redemit, haudquaquam ſimilis uideri poſſit. Vnde ſi ex integro ad uniuer-

ſam

ſam prioris inſtrumenti legem ſublatum Chriſti redemptoris beneficio maledictum referre uelimus, planè fatendum erit, maledictum id fuiſſe corporalis pœnæ præſentaneæq; maledictionis in hoc ſeculo realis & actualis trãſgreſſori & delinquẽti ſine ſpe miſericordiæ,inflictio.hanc enim Chriſtus ſua pretioſiſsima morte ſuſtulit,miſericordiæ,& gratiæ nobis aperiens uiſcera,ut non amplius,uelut ſerui dominica trãſgrediẽtes præcepta,mox iugularemur: ſed uelut adoptionis filij irati in nos delinquẽtes patris ad eum humiliter redeuntes,& toto corde conuerſi,gratiã & miſericordiam expectaremus. Non tamẽ propterea ſpiritalis mors uelut ſub maledicto legis cõprehenſa,tranſgredientibus mãdata,ſi pœnitentiã non egerint,ſublata, uidetur,quã & Chriſtus male agentibus in euangelio cõminatur,dum ait:Et procedent,qui bona fecerũt,in reſurrectionem uitę.qui uerò mala egerunt,in reſurrectionẽ iudicij.Et rurſus,Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluabitur : qui uerò non crediderit,condemnabitur.Hanc autẽ fidẽ Paulus explicat,ut in ſequentibus ediſſeremus, quæ per charitatem operatur. Et diuus Iacobus eam bonis operibus uiuificari dicit,ſine illis eſſe mortuam. Ad bona autem opera,& ad fidem ipſam, inter cætera maximè ſpectat, mandata obſeruare, & ſuperioribus obedire, ut pluſquam notum eſt. Conſequenter pœnæ ſpiritalis inflictio non poteſt ſub maledicto,de quo Chriſtus nos redemit,contineri : nec etiam anathema , ſeu excommunicatio , qua uſi ſunt ſancti Dei Apoſtoli.Anathema enim nihil eſt aliud, quàm ſeparatio à communione fidelium,ut ſubiungemus. Sed quis profectò maledictum appellabit ſummam benedictionem,præceptionem quippe eccleſiaſticam cum pœnæ ſubſcriptione & comminatione populo Chriſtiano à

Ioan. cap. 5.

Ad Galat. cap. 5.

Iacobi cap. 2.

uera deſciſcenti Chriſtiana libertate, ut in ſpiritum adoptionis depreſsis carnis ponderibus reuocetur, uel per orationem in Deum magis mens eleuetur ab eccleſiæ ducibus datam ueram (& ſi ſeruitutis nonnihil præ ſe ferre uideretur) benedictionem, quiſque optimo iure cenſere debet. Hæcq; ſeruitutis obſequentia non perſiſtenti in conſecuto libertatis beneficio admodum neceſſaria eſt, quòd eius ſolius eſt qui ſapiens eſt, & liberę uoluntatis. Sapiens enim, ut Ambroſius ait, quoniam qui ea facit, quæ uult, liber eſt. Sed non omnis bona uoluntas, ſed ſapientis eſt omnia quæ bona ſunt uelle. Odit enim malum, quia quod bonum eſt, prælegit. Arbiter electionis, & eligens operationis liber eſt, quia quod uult, facit: liber ergo ſapiens. Et paulò pòſt: Quæ autem deſiderat ſapiens, niſi ea quæ ſunt uirtutis, & diſciplinæ, ſine quibus eſſe non poteſt? in ipſo enim ſunt, nec diuelluntur ab eo. Quòd ſi diuelluntur, iam non ſapiens, qui ſit ſine uirtutis uſu ac diſciplina: quibus ipſe ſe fraudet ſi non ſit uoluntarius uirtutis interpres. In omnibus autem factis aut à uirtute correctiones ſunt, aut à malitia prolapſiones. Et tamen (ſubiungit) quia nihil inuitus facit ſapiens, neque cogitur, quia ſi ſeruus eſſet cogeretur: Liber igitur eſt ſapiens. Deniq; paululum infrà ſubiungit: Gemina enim ſeruitus eſt, Altera corporis, animarum altera: domini autem corporis quidem homines, animarum autem malitiæ & paſsiones, à quibus ſola libertas ſapientem uendicat. Sic ille. Sentiens planè Chriſtianam libertatem tum in fidelibus deprehendi, quum ea ſpiritali ſapientia animiq; uirtute ſibi conſtant, ut libera rectè eligendi uoluntas ſit. Aſt iandudum experimento eccleſię adminiſtri uel liquido cognouerunt, uel paucos in Chriſtianiſmo ſpiritales ſapientes eſſe: ſicq;

Ambroſ. in epiſt. 7. lib. 2. tertia operũ parte.

paucos

paucos liberos, multos uerò ſtultos improbæ uoluntatis ſeruos: hiſce præceptiones pœnarũ ſubſcriptione & comminatione munitas denſare, ut in Chriſti obſequium, ſeruitutemq́; adigantur, pro benedictione reputari debet. Nempe, ut idem Ambroſius ait, huius ſeruitutis obſequium inter benedictiones numeratur. Nam (ſubiungit) & Iſaac loco benedictionis eam dedit Eſau filio ſuo, ut ſeruiret fratri ſuo. Denique benedictionem ille poſcebat, & ſi unam cognouiſſet eſſe præceptam, tamen aliam poſtulabat, dicens: Nunquid una benedictio tibi eſt, pater? Per hanc igitur ſeruitutem ille qui per gulam primitias ſuas ante uendiderat, & ſtudio uenationis agreſtis gratiam benedictionis amiſerat, credidit ſeipſo futurum eſſe meliorem, ſi typum Chriſti ueneraretur in fratre. hac enim ſeruitute pollet populus Chriſtianus. Itaque ſeruis & imprudentibus, ueram libertatem Chriſtianam minimè retinentibus, pro præmijs & benedictione adiunctæ præceptiones, quibus hi ſeruire cogantur, haberi ac cenſeri debent. Chriſtus nempe qui nos à peccati ſeruitute redemit, ac liberos à peccati lege effecit, in ſeruitutem nos ſuam redegit: unde Apoſtolus: Qui enim uocatus eſt in domino ſeruus, libertus eſt domini: ſimiliter qui liber uocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Re uera enim, ait Ambroſius, omnes Chriſti liberti & ſerui ſumus, nemo liber. Omnes enim in ſeruitute generati. Quid (ſubiungit) ſeruili conditioni arrogantiæ libertatem aſſumis? Quid titulos nobilitatis uſurpas? ſeruilis hæreditas? Neſcis quòd te Adæ atq; Euæ culpa mancipauerit ſeruituti? neſcis quod redemerit te Chriſtus, non emerit? Non auro, non argento redempti eſtis de uana ueſtra conditione, ſed precioſo ſanguine agni, Clamat Apoſtolus Petrus. Ergo redemptus à domino es?

Ambroſ. in lib. de paradiſ. cap. 14.

1. ad Corint. cap. 7.

Ambr. parte prima, libro de Iacob. de uita beata. cap. 3.

no es? ſeruus es? qui creatus es, ſeruus es, qui redemptus es, & quaſi domino ſeruitutem debes, & quaſi & redemptori. Nec inferiorem putes libertinitatem ſub Chriſto, quàm libertatem eſſe ad dignitatem æqualis, ad tuitionem præſtantior eſt, ad gratiam par, aduerſus lapſum cautior, aduerſus ſuperbiam tectior. Ita libertatem accepiſti, ut meminiſſe manumiſſoris tui debeas, ut patrono tuo noueris legitimum obſequium deferendum, ne ab ingrato reuocetur libertas. Quid te beatius? qui ſub domino regnas? & ſub patrono militas? Sic ille. Et propterea clamat Apoſtolus: Neſcitis quoniam cui exhibuiſtis uos ſeruos, ad obediendum ſerui eſtis eius, cui obediſtis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam. Ecce precioſam ſeruitutem obedientiæ ut iuſtificemur. Seruire autem iuſtitiæ libertas eſt, & ſub Chriſto precioſa ſeruitus, & glorioſa libertas: precioſa ſeruitus, quaſi tanti ſanguinis precio comparata: glorioſa autem libertas, quam nulla ſeruitus culpæ, nulla flagitiorum onera conſtringunt, nulla criminum commercia degeneris necis ſuæ abdicant ſeruituti. In eam proinde Chriſti precioſam ſeruitutem, & glorioſam libertatem eccleſiaſticis præceptionibus deſciſcentes fideles cogendi ſunt, nec proprio relinquendi arbitrio.

Ad Roman. cap. 6.

Ambroſius.

Chriſtus nanque (ut Ambroſius ait) captiuam duxit captiuitatem, ſeruitute triumpho Paſsionis occiſa, morteq́; abſorpta uictoria, pro triumpho eius captiuam is duxit captiuitatem humanam olim captiuam, addictam ſcilicet peccati ſeruituti, Chriſtus ſibi captiuam effecit. Ob id Paulus clamat, captiuare oportere intellectum in ſeruitutem Chriſti. Liberi igitur à peccato, ſerui iuſtitiæ: liberi à degenere ſeruitute, non auro atque argento, ſed precioſo ſanguine agni immaculati redempti, eius precioſæ captiuitati

uitati addicti ſunt, in qua glorioſam libertatem (ut præfati ſumus) obtinent, & illa eſt uera Chriſtiana libertas. Si igitur fideles, luxu, & uitijs ad ueterem hominem redeant, rurſumq; abolitæ ſeruituti ſeſe propria uoluntate addicant, nónne optimo iure ab illa in CHRISTI ſeruitutem uendicari & poſſunt,& debent? Quibuſdam igitur,qui deſciſcunt uinculis è antiqua, quam repetunt, ſeruitute in nouam quam redemptione intrauerunt,quæ glo rioſa libertas appellatur,reducendi ſunt. Sed non eiſdem uinculis, quibus ducebantur ſub priori inſtrumento uiuentes, poſteaquam illi in idololatriam prolapſi ſunt, illi enim ſine miſericordia ſtatim corporalibus pœnis afficiebantur. Erantq; hæc uerè ſeruilia uincula, quia carnalia, & corporalia. Sed in lege noua qui filij ſunt, adoptionis ſcilicet ſpiritum habentes, præmijs & gratia inuitantur, neque illis pœna uidetur ſubſcripta, neque lex in ſua coactiua ui data,quæ propter tranſgreſſores poſita eſt. Serui uerò degenere uitiorum ſeruitute, non exterorum uinculorum comminatione, & impoſitione, ſed potius intraneorum & ſpiritalium timore,ſemper cum ſpe miſericordiæ,ſi redierint,in amorem filiorum compellantur: ita ut hæc ipſa uincula in comparatione antiquorum ſeruilium filiorum & liberorum potius, quàm ſeruorum cenſeri debeant: ſpiritum quippe agunt, & euinciunt ſpe, & intentione,ut illi coacti redeant ad miſericordiam,quæ ſemper illis aperta eſt, dum in uia ſunt impetrent. In lege uerò priſca ſeruili uelut ſerui tranſgreſſores ſtatim ſine miſericordia occidebantur. Itaque latum inter hæc diſcrimen, notiorq; delectus. Non poſſunt igitur eccleſiaſticæ præceptiones cum pœnarum, anathematis, uel reatus mortis æternæ ſubſcriptione, & interminatione priſcæ ſeruilis le-

gis ſpeciem uel ſimilitudinem referre, cenſeri. Quinimo (ut ait Auguſtinus) ut iuſtè Chriſtiani lege diuina uterentur, iniuſtis terrendis legem ſuperiores adminiſtri imponere debuerunt: ut quum & in ipſis cœperit inolitæ concupiſcentiæ morbus incentiuo prohibitionis, & cumulo præuaricationis augeri, confugiant per fidem ad iuſtificantem gratiam, & per domini ſpiritus, ſuauitate iuſtitiæ delectati pœnam literæ minantis euadant.

Aug. lib. de ſpiritu & litera. cap. 10.

Tolluntur & quædam aliæ pro pſeudoeuangeliſtis adductæ rationes, eosq́; manifeſtè deſipere oſtenditur, dum mobilium adiectione præceptorum cum pœnæ ſubſcriptione eccleſiæ paſtores crudelitatis inſimulant.

NEc propterea uelut crudeles accuſari poſſunt prælati, & qui eccleſiæ præceptiones tranſgrediuntur, & conditorum crudelitatem accuſant, è numero eorum rectè cenſendi ſunt. De quibus diuus Ireneus ait: Et peccatum (inquit) ſuæ apoſtaſiæ ſuo conditori imputant, & non ſuæ uoluntati & ſcientiæ: quemadmodum (ſubiungit) & qui ſupergrediuntur leges, & poſtea pœnas dant, queruntur de legiſlatoribus, ſed non de ſemetipſis. Quos profectò nimium temerè in ea re uel pluſculæ ſeueritatis arguunt pſeudoeuangeliſtæ. Quandoquidem, ut præclarè & attemperatè ad hanc rem Tertullianus ait, ita omne hoc iuſtitiæ opus procuratio bonitatis eſt, quod iudicando damnat, quòd damnando punit, quod (ut dicitis) ſæuit utique bono non malo proficit. Denique timor iudicij ad bonum, non ad malum confert. Non enim ſufficiebat bonum per ſemetipſum commendari, iam ſub aduerſario laborans. Nam etſi commendabile per ſemetipſum, non tamen & conſeruabile: quia expugnabile iam per aduerſar

Iren. lib. 5. aduerſ. om. hæreſ.

Tertul. lib. 2. aduer. marcioniſtas.

aduerſarium,niſi uis aliqua præeſſet timendi,quæ bonum etiam nolentes appetere & cuſtodire compelleret. Cæterùm tot illecebris malis expugnantibus bonum, quis illud appeteret,quod impunè contemneret? quis illud cuſtodiret,quod ſine periculo amitteret? Legis mali uiam latam, & multo frequentiorem,nónne omnes illaberentur, ſi nihil in illa timeretur? Horremus terribiles minas creatoris,& uix à malo auellimur. Quid ſi nihil minaretur? An iuſtitiam malum dices, quæ malum non fouet? Et paulò infra ſubiungit:Bona igitur eſt ueritas,quia iuſta: ſic bonus iudex quia iuſtus. Item cætera bona per quæ bonum opus currit bonæ eſſe ueritatis, ſiue ira, ſiue æmulatione, ſiue ſæuitia. Et paulò pòſt ſequitur: Quid enim ſi medicum quidem dicas eſſe debere, ferramenta uerò eius accuſes,quòd ſecent tonſuram,& amputent, & conſtrictent: quando ſine inſtrumento artis medicus eſſe non poſsit? Sic illle. Queis palàm fit,eccleſiaſtici exercitus duces ſanctè & iuſtè optimum omnium creatorem imitati legibus ſuis pœnæ timorem adijcere potuerint. Neq; medici ſpiritales alioqui functionem implerent ni ſecantia, conſtrictantia, & amputantia artis ferramenta haberent, nec inde iure crudelitatis inſimulari poſſunt. Vnde Origenes pulchrè ad rem ipſam inquit: Non eſt hic culpa uocantis ad ſalutem, non ipſe cauſa mortis, qui inuitat ad diuinitatem & ad cœleſtis naturæ adoptionem: ſed in noſtro peccato,& noſtro ſæculo conſiſtit. Sic ille. Et diuus Hieronymus attemperatè ad rem ait, loquens de mandato, cuius tranſgreſsione mortalis ſuccedit culpa:Atq; ita (inquit) factum eſt, ut quod mihi pro bono datum eſt, meo uitio mutetur in malum. Quod & plane Apoſtoli uerba declarant, dum ad Romanos ait: Quod ergo bonum eſt mihi,

Orige.ſuper Ezec.hom.1.

Hierony. ad Algaſiam. 8.quæſt.

Ad Roman. cap.7.

mihi,factum eſt mors,& quæ ſequuntur. Hoc & peramplius multoq; luculentius diuus Auguſtinus explanans infit: Adhibeantur pœnæ, non recuſo, non interdico: ſed animo amantis,animo diligentis,animo corrigentis.Non enim filium tuum non erudis, & prius agis ut,ſi fieri poteſt,pudore & libertate erudiatur, & erubeſcat patrem offendere. Non tanquam ſeuerum iudicem offendere timeat gaudes ad talem filium. Sed ſi fuerit forte iſta contemnens,adhibebis & uerbera, incutis pœnam, ingeris & dolorem,ſed quæris ſalutem. Multi amore,multi timore correcti ſunt: ſed per tremorem timoris ad amorem peruenerunt. Erudimini qui iudicatis terram,diligite, & iudicate, non enim ſic quæritur innocentia, ut pereat diſciplina. Scriptum eſt: Qui diſciplinam abijcit,infœlix eſt. Bene poteſt addi ad iſtam ſententiam: Sicut diſciplinam qui abijcit,infœlix eſt, ſic diſciplinam qui negat, crudelis eſt. Auſus ſum aliquid dicere fratres mei,quod uobis aliquanto plenius exponere ipſius rei obſcuritate compellor. Repeto quod dixi, Diſciplinam qui abijcit, infœlix eſt: hoc eſt manifeſtum,diſciplinam qui non dat,crudelis eſt. Teneo prorſus,teneo,& oſtendo feriendo pium,parcendo crudelem. Exemplum ante oculos pono: ubi inuenio feriendo pium,non eo ad alios,ad patrem & filium eo. Pater quando ferit, amat: & non uult puer cędi, contemnit uoluntatem, conſulit ad utilitatem. Quare? Quia pater eſt,quia hæreditatem parat,quia ſucceſſorem nutrit. Ecce feriendo pius eſt pater, feriendo miſericors eſt. Da mihi hominem parcendo crudelem: non recedo à perſonis, eoſipſos ante oculos pono.Sed ſi puer ſic imperitus & indiſciplinatus ſic uiuat,ut pereat, & pater diſsimulet, pater parcat, pater perditum filium diſciplinæ aſperitate offendere

Auguſt. ſermo. 95.

dere timeat, nónne parcendo crudelis eſt? Sic ille. Planè hiſce uerbis demonſtrans, pios non crudeles ſpiritales parentes eſſe. Qui à uera deſciſcentes libertate pœnarum comminatione & terrore reuocant:& ſi ſeſe ab his abſtinerent pœnis (ut pſeudoeuangeliſtæ iuſtum exiſtimant) tum planè crudeles uocari deberent. Tametſi uerò & inobedientes plerique comminatam pœnam incurrant, abſit ut hinc crudelitatis pios beneq; affectos eccleſiæ duces inſimulemus. Eccleſiæ nempe adminiſtri medici officium (ut in ſuperioribus ediſſeruimus) Chriſti exemplo gerunt. Itaque eos gliſcentibus Chriſtianiſmi morbis crebra ſollicitudine malagmata admouere conuenit. Abſit autem, ut ſi ſalubre propinatum eccleſiaſtica præceptione antidotum Chriſtianus per inobedientiam amoliatur, indeq; mortis pœnam ſua culpa incurrat. Id uitium in medicum referamus, cuius ea fuit intentio, curare egrotum, illiq; pœnam ſubſcribendo, & comminando quæ ex inobedientia eum manebat: mortis periculum declarauit, ut eum ſanare poſſet, ac de maximo periculo certior factus ſalubre poculum auida mente epotaret. Pia hæc, lenis, & deuota, & non crudelis ſpiritalis medici intentio eſt. Maxima autem egrotantis culpa, qua ſe morti addicit, exitiumq; infert. Lenitas proinde paterna in his apparet, non dominica ſeueritas ſeu crudelitas. Vnde diuus Athanaſius Apoſtoli uerba ad Romanos ſcribentis, Sed quum ueniſſet mandatum, peccatum reuixit: ego autem mortuus ſum: ait, acriori ſupplicio obnoxium per legem ſuperuenientem effectum, non poſſe inde, quòd tranſgreſsione morti addicatur, culpam in conditorem referre. Quod ſanè (inquit) non eſt legis crimen, ſed eius qui legem attenderit. Et ſubiungit exempli gratia: Egrotat quiſpiam, nec uale- *Athanaſ. alias Theoph.*

tudine ſe ægrotum intelligit: accedens medicus laborare morbo ſignificat, iniungitq́; , hoc uel illo cibo abſtineat, qui augere ægritudinem queat: ſicq́; ille quum nihil obtemperat, moritur. Hæc Athanaſius. Proinde dum eccleſiæ duces ſpiritales medici Chriſtianiſmi morbis gliſcentibus antidota admouent, morbos detegunt, à quibuſdam abſtinendum, ut curentur qui malè ualent, ſuadent & pręcipiunt, alioqui mortem imminere prænunciant: nulla culpa, nulla denique crudelitas in utroque medico offendi poteſt. Ac, ut in ſimili idem Athanaſius citato loco ait, Eccleſiaſticæ legi mens erat, ut ad uitam traduceret, eoq́; eſt tradita: at ſi ex ea mors defluxerit, non eſt propterea illa culpanda, ſed peccatum, id eſt, impetus ille qui ad malum defertur, & corruptus, & uoluptuarius animus: quin potius (ſubiungit) uoluptas ipſa ſubduxit atque tranſgredientem occidit. Eam ob rem qui ieiuniorum & abſtinentiæ legem tranſgrediuntur, indeq́; mortis pœnæ ſe addicunt, non propterea poſitam legem eccleſiæ iure culpare poſſunt: nec crudelitatis inſimulare autores, ſed potius omnem culpam in uoluptuarium, delicioſumq́; animum, qui eoſipſos in tranſgreſsionem adegit, referre debent.

Athanaſ. alias Theoph.

LIBELLVS QVARTVS.

Præmiſsis quibuſdam pro pſeudoeuangeliſtis rationibus, quibus contendere poſſunt, eccleſiæ mandata, uerum Chriſtianum ſpiritum adoptionis filiorum habentem, minime obligare: multis ſacris canonis teſtimonijs ac ſacrorum aſſertionibus doctorum oſtenditur, omnes fideles

deles paſſim eccleſiæ mandata obſeruare teneri, atque tranſgreſſoribus grauiſſimam imminere pœnam.

CAETERVM dicunt pſeudoeuangeliſtæ,
præceptionem eccleſiaſticam uero liberoq;
Chriſtiano, adoptionis filiorum ſpiritum
habenti, minimè impoſitam cenſeri, neque
ad eum illius obligatiuam trahi uim. Nem-
pe ut Apoſtolus ait, Iuſto non eſt poſita lex: Iuſtus autem, *1. ad Timot. cap. 1.*
ut idem Apoſtolus inquit, ex fide uiuit: per quam, ut rur- *Ad Ro. ca. 1.*
ſus idem ait, iuſtificatur gratis, & non ex operibus legis. *et ad Hebr. cap. 10.*
Et ut idem Paulus infit, Chriſtiani qui Dei ſpiritu ducun- *Ad Ro. 5. ca.*
tur, non ſunt ſub lege. Hincq; confici poſſe uidetur, iam *Ad Galat. cap. 5.*
per fidem iuſtificatum, ueramq; obtinentem Chriſtianam
libertatem (quæ, ut ait Ambroſius, ibi eſſe uidetur, ubi eſt
uera fides) minimè præceptionibus eccleſiaſticis egere, qui-
bus iuſtificetur, iam ex fide ipſa iuſtificatur; haſq; eccleſiæ
præceptiones, ieiunia, abſtinentias, & feſtorum cultum
quæ externa ſunt, contingentes, haud abſimiles uideri poſ-
ſe iuſtitijs carnis priſcæ legis, in quibus Apoſtolus nemi- *Ad Galat. cap. 2.*
nem fidelem iuſtificari dicit: ſed ea ipſa ceſſare, uelut im- *Ad Hebræ.*
poſita uſque ad tempus correctionis. Ac hiſce rationibus *cap. 9.*
uel facilè admodum uideretur, eccleſiaſticorum manda-
torum cultum & obſeruationem deturbari poſſe. Sed re
uera hæ ipſæ rationes, quæ admodum pſeudoeuangeliſtis
fortes eſſe uidentur, paruulorum ſagittæ ſunt, ut mox pa-
lam faciemus. Enimuero in confeſſo eſt, iuſto minimè,
legem impoſitam eſſe, quantum ad eam uim, quæ legi
propria eſt, quæ coactiua uocatur. Quum enim iuſtus, ſa-
piens, & liber propriæ uoluntatis rectus ſit arbiter, & mo-
derator, atq; ea ex ſeipſo eligat, quæ ad Dei mandata ſu-

ſtinendum,uiamq́; ſalutis facilius inueniendam, & inuentam cuſtodiendam conducunt. Huic ſuapte natura operanti uis coactiua legis, pœnæq́; comminatio proponi haudquaquam uidetur, quum lex propter tranſgreſſores poſita ſit. Sed quantum ad uim directionis cuique, etiam uero in Chriſtiana fide ſpiritali ſapienti ſicq́; uero libero Chriſtiano lex eccleſiaſtici mandati propoſita uidetur, ut uoluntarius is ſit elector atque operator eorum quæ iubentur, quæ ſapiens ipſa atque libera ſancta mater eccleſia ſpiritu Dei plena pro faciliori Chriſtianorum in CHRISTI ſeruitutem directione, ac diuinorum leuiori executione mandatorum obſeruanda propoſuit, & iuſsit, non modò quippe ut peccati ſeruos in amorem adigeret filiorum, maleq́; affectis priſtinam bonamq́; reſtitueret ualetudinem: uerùm etiam, ut & liberos ipſos, & ſapientes ſpiritáles Chriſtianos in conſecuto adoptionis, libertatisq́; beneficio conſeruaret. Non enim minor eſt uirtus, quàm quærere, parta tueri. Nemo igitur ſapiens, ſapientis matris propoſitum piorum operum ac iuſtitiæ exercitamentorum electionem prætereat. Alioqui iam nec ſapiens, nec liber cenſeri poteſt. Sapientis quippe (ut diuus Ambroſius ait) uelle eſt, quod ſcilicet bonum, & iuſtum proponitur, & ſequi & adimplere: parere & inſeruire inſipientis. Et propterea Apoſtolus inquit: Si enim uolens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Sapienti igitur merces defertur, quia uoluntariè quod bonum eſt eligit, & Chriſto ſeruit. Nam ultra ipſam libertatem Chriſtianam (ait diuus Ambroſius) docuit Apoſtolus ut & ſeruire libertas ſit, ſeruire ſcilicet Chriſto: ſeruire autem eccleſiæ, eius obedire mandatis, eſt ſeruire Chriſto, ipſo ad Apoſtolos & diſcipulos dicente:

Ambroſ. plene hoc diſſerit epiſtol. 7. ſuorum ope. parte 3.

cente:

cente : Qui uos audit, me audit. Et iterum, Qui uos recipit, me recipit. Iam igitur ſapiens liber, & iuſtus, uoluntariè operatur, quod ſapiens mater eccleſia, uerorum liberorum Chriſtianorum genitrix, filijs obſeruanda proponit. Per legem itaque dirigitur, licet non cogatur : quia uoluntariè, non neceſsitate facit. Et ſi propoſitam ab eccleſia medelam, non modò pro reſtauratione, ſed pro uera Chriſtianæ libertatis conſeruatione quiſquam amoliatur : iam deſinit ſapiens, ſicq; liber eſſe, nec iuſtus uocari meretur, qui quæ iuſtitiam conſeruant propoſita, minimè obſeruat. Vnde Paulus ad Corinthios ſcribens, Qui putat ſe ſtare, uideat ne cadat. Inde Cyrillus infit, Mille nanque pericula; niſi diligenter ſtudeamus, etiam ſtantibus imminent. Quare oportet omni cura, opera, & ſtudio ad maiora ſemper niti. Sic ille. Et propterea Apoſtolus Epheſios monet : Et in omnibus perfecti ſtate : uitia ſcilicet (ait Athanaſius) uniuerſa, abſurdaſq; cupiditates debellando auertite. Et quoniam (ſubiungit ad hanc rem appoſitè) plerique poſt uictoriam cecidêre : ſtandum eſt, inquit, uel maximè quum uictores euaſimus, ne uictus ille nos rurſum oppugnet hoſtis: nanque uel morte confectus hic reuiuiſcet, & uires recuperabit, ſi erimus ipſi tardiores, & in turpitudinem relabemur. Idcirco & qui ueram nacti ſunt Chriſtianam libertatem, ac iuſtitiam conſecuti, ut in his perſtent maximè curare debent. Itaque non minus ſolliciti inuentam ſalutis tenere uiam, quàm amiſſam inuenire. Atque iiſdem medijs (ut Criſpus ait) quibus imperij libertas parta eſt, eiſdem conſeruari ſolet. Eam ob rem ſicut eccleſiæ præceptiones ad iuſtitiam, à Chriſtiano torpore & deſidia amiſſam, recuperãdam conducunt: ſic non minus ad eam recuperatam conſeruandam. Nec

Luc. cap. 10. *Matt. ca. 10.* *1. ad Corint. cap 10.* *Cyrillus ſuper Ioan. lib. 10. cap. 19.* *Ad Epheſ. 6. cap.* *Athanaſ. alias Theoph.* *Criſpus ſaluſt. in Catilinam.*

certè conducit quantumcunq; ſpiritalem ſapientem, ſicq; liberum, & ſpiritum adoptionis filiorum habentem, proprij libertatem arbitrij in eorum, quæ ad Dei ſuſtinenda mandata opem ferunt, electione ſequi, ſed commune ſanctæ matris eccleſiæ obſeruare mandatum. Propter quod pulchrè magnus Baſilius ait, de abſtinentia & ieiunio loquens. Ieiunij menſura non debet ex uniuſcuiuſque uoluntate pendere, ſed ex iuſſu & inſtitutione eorum qui communiter Deo ſeruiunt, ſicut & illorum humanitas & conſonantia in omnibus refertur, qui in actibus Apoſtolorum cor unum & animam unam habuiſſe ſignantur. Sic ille. Cenſet igitur in Chriſtiana diſciplina, abſtinentijs, ieiunijs, orationibus, Dei obſequio, & id genus cæteris, legem unam communem omnibus eſſe debere, quæ ab extra referat intraneam ſpiritus unitatem: earumq; rerum menſuram minimè uniuſcuiuſq; arbitrio relinquendam: quæ & ſi in monachis dixerit, planè illius cæteris conueniunt rationes. ex unitate enim ſpiritus, quam obſeruare omnes Chriſtianos decet, eam communem menſuram, conſonantiam ieiunij, & abſtinentiæ, Baſilius ſubinfert: Quæ ſanè ratio omnibus Chriſti fidem profeſsis conſentanea eſt. Non igitur is qui propriæ arbitrio uoluntatis, abſtinentiæ, ieiuniorum, & cæterorum quæ eccleſiaſtica indicuntur lege, menſuram, & modum deligere uult ſapiens ſpiritalis: ſicq; liber ſpiritum adoptionis habens cenſeri poteſt. Nempe ſpiritalis ſapiens, uerusq; liber Chriſtianus unitatem ſpiritus cũ cæteris obſeruare debet, hanc referentem, & in iuſtitiæ exercitamentis conſonantiam retineat, decet & oportet, communiaq; obſeruare mandata, & non propriæ uoluntatis uoto uiuendo ab alijs diſſentire, ut & plenius in præcedentibus ediſſeruimus. Neque

Baſilius.

obſtant Apoſtoli dicta, Manducans non manducantem non ſpernat; & complura ſimilia ad quæ infrà ſuo loco plenè reſpondebitur. Sed nunquid in Prouerbijs Salomon ait? Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. Sapienti ſpiritali, ſicq; ueram libertatem habenti, danda eſt occaſio, ut ſapientior fiat. Huic idcirco optima ratione proponuntur eccleſiæ mandata, quæ ſpiritum carne depreſſa erigant, & uiuere faciant: ac inde datur ſapienti occaſio, propter his ſubſcriptam eccleſiaſticis præceptionibus pœnam, ut ſapientior ſit. Nempe uidens adiectam pœnam, ne illam incurrat; facilius longè inducetur ut libera uoluntate, quæ (ut prædiximus) cogi non poteſt, propoſita adimpleat mandata, & illorum euitet tranſgreſsionem, indeq; data occaſione ſapientior erit, magis cauens à ſpiritali lapſu. Nec propterea illi ſpiritali ſapienti & iuſto in iuſtitia, & ſapientia, ſicq; libertate perſeueranti, timor pœnæ proponi uidetur. Sed proponitur ſi inſipiens peccati ſeruus efficiatur. Itaque dum liber eſt, in ſpiritali ſapientia pœnam inſipienti & ſeruo tranſgreſſori propoſitam prænoſcens, magis inducetur in amorem, & ſpiritum adoptionis filiorum, adaugebiturq; illius libertas cum ſpiritali coniuncta ſapientia, ut promptius eligat amore, & non pœnæ timore. Quia charitas foras timorem mittit, quæ ſancta mater eccleſia propoſuit obſeruanda mandata. Sicq; pœnæ terror erit occaſio, de qua loquitur Sapiens in Prouerbijs ſapienti data, ut ſapientior efficiatur. Et ita in ſententia hanc ſapientis autoritatem intellexit diuus Auguſtinus eam aduerſum Donatiſtas adducēs, dum ſcribit ad Vincentium: Deniq; inficias ibit nemo, omnia decalogi præcepta, legiſq; euangelicæ mandata, cuique quantumcunque iuſto obſeruanda eſſe: quæ ſi non obſer-

Prouer. ca. 9.

Hæc citat Grat. in cap. uides circa finē. 23. q. 6.

uet,iam iuſtus eſſe deſinit. Itaque lex mandatorum iuſto poſita eſt, ut eum ipſum dirigat, non ut eum cogat: quia ſi cogeretur hac neceſsitate mandata adimplere, iam minimè ſapiens, nec liber, nec iuſtus eſſet. Lex igitur iuſto poſita eſt, in ui directiua, licet non in ui coactiua: quam ſi tranſgrediatur, nec amplius ſapiens, nec liber, nec iuſtus dici meretur. Denique nónne Apoſtolus ait, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: cuicunq; quantumcunque iuſto, ſapienti & libero, obedientiam poteſtatibus ſuperioribus præcipiens? Quicunque idcirco, etiam quantumcunque iuſtus, liber, & ſapiens, matris eccleſiæ mandatis obedire debet. Eam autem obedientiam ſi ſapiens, liber, & iuſtus ſit, ex uoluntate præſtabit, & non ex neceſsitate. Nam ſi inuitus id agat, diſpenſatio illi credita eſt, ſed mercedem non habet: melius utique mercedis præmium, quàm diſpenſationis obſequium. Vnde & in ea re quantumcunque ſapientes, liberi, & iuſti ut præfati ſumus Chriſto, & eius ſponſæ ſanctæ matri eccleſiæ parendo inſeruire debent. Ea enim precioſa ſeruitus glorioſam parit libertatem. Sed ſapientis, liberi, & iuſti eſt, iugum excutere ſeruitutis: huic enim rectè dicitur, Sta, & noli iterum iugo ſeruitutis contineri. Eſt enim grauius iugum ſeruitutis, quàm ſeruitus. Iſaac nanque Eſau filio ſuo petenti benedictionem ait, Ecce ab ubertate terræ erit tibi habitatio, & à rore cœli, & ſuper gladium tuum uiues, & ſeruies fratri tuo. Erit autem quum depoſueris, & ſolueris iugum illud à collo tuo. Quomodo (inquit Ambroſius) iſtud conuenit, ut ſeruiat, quum ſoluerit iugum fratris à collo ſuo. Quæ igitur ſit differentia, ipſa nobis explanat lectio. Et paulò pòſt ſubiungit: Sed tunc erit iſtud, quum depoſueris iugum à collo tuo, ut uoluntariæ ſeruitutis mercedem habeas,

Ad Roman. cap. 13.

1. ad Corint. cap. 9.

Ambroſius.

beas,non iniuriam ſubeas neceſsitatis.Inhonora eiuſmodi ſeruitus,quæ neceſsitate cogitur:honorata autem,quæ pietate defertur. Itaque ſapientem,liberum,& iuſtum,Chriſtianam ſeruitutem, eccleſiæ mandatis parendo, recuſare non decet: ſed ſeruitutis iugum à collo excutere,uoluntariè,filialiq; amore hæc agendo, quæ præcipiuntur, & non inuitum illa exequi,parendo. Itaque mandati directio illi propoſita eſt,licet non uis coactiua, quæ ſolùm tranſgreſſori ſubſcripta uidetur. Vnde eccleſiæ electionem & iudicium in uiuendo,operando,orando,alijsq; iuſtitiæ exercitamentis fidelem quantumcunque iuſtum longe magis ſequi oportet, quàm proprij arbitrij uoluntatem. Qui enim propriæ innituntur prudentiæ à ſapiente reprehenduntur. Et Apoſtolus ad Romanos ſcribens, Nolite eſſe prudentes apud uoſmetipſos: id eſt (ait Athanaſius quem in ſuperioribus citauimus) uel ueſtræ prudentiæ, uel uiribus ita confidere,ut exiſtimetis nemine uos indigere conſultore, & quæ recta ſunt, ſuggerente. Moſes enim & ſi Dei colloquio foueretur,opus tamen habuit quem conſuleret ſocero. Vnde & is,licet ſpiritu Dei plenus, quæ conſulit ſocer,ad Dei mandata facilius ſuſtinenda & implenda,mox exequitur, præceptoq; ſtatuit: non proinde apud ſemetipſum prudens eſſe uoluit. Sic nec ſapiens,ſpiritalis, liber,& iuſtus,quantumcunque apud ſemetipſum propriæ inhærendo opinioni prudens eſſe debet:ſed potius matris eccleſiæ ſequi ſententiam,cuius legem obſeruare à ſapiente iubetur. Itaque iuſto poſita eſt legis directio, licet non coactio: Quia iuſtus propoſitum opus propria exequitur uoluntate,non cogentis legis neceſsitate. Eam ob rem diuus Auguſtinus dicit,legem non eſſe iuſto poſitam,ut iuſtificet:ſed bene eſſe poſitam,ut ea legitimè utatur,ſicq; ut

Ad Roman. cap.12.

Aug.in lib. de ſpiritu et litera. ca.10.

eum dirigat:iniuſto uerò,ut per eam in iuſtitiam deducatur. Eſt enim lex (ut Auguſtinus ait) uelut uehiculum quoddam, quo perducimur ad gratiam, qua ſola iuſtificamur gratis, & meritoriè legem implemus, eaq; lege iniuſtus legitimè utitur,ut iuſtus fiat: & quum factus fuerit, amplius non eget illa ut uehiculo, quum iam peruenerit: ſed bene eget illa (ſentit Auguſtinus) ut quodam firmius & leuius retinendæ iuſtitiæ baculo. Non enim minor eſt uirtus (ut præfati ſumus) quàm quærere,parta tueri.Nam ut diuus Athanaſius ait, Quemadmodum ignis ligno ut ardeat indiget,ſic ſpiritus gratia animi exigit promptitudinem, ſtudiumq; & uigilantiam poſcit, ut perpetuò ferueat: quibus ſi careat, extinguitur facilè, ut alibi dicit Apoſtolus: Spiritum nolite extinguere. Idcirco qui ſpiritus libertatem habet,promptitudine, ſtudio, & uigilantia, boniſq; operibus,ut ea conſeruetur,perpetuò libertas eget: alioqui ſi deſes, minuſq; intentus fuerit, uel facilè extincta ſpiritus gratia,à libertate deſciſcit. Sed quis denique tantæ arrogantiæ eſt,ut ſeſe adeo ſapientem, ſpiritalem,ſicq; liberum & incolumem arbitretur? ut eccleſiæ ſapientia,ut dirigatur, antidoto ut ſanetur, minimè ſibi opus eſſe autumet. Audiat quæſo Paulum clamantem, Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc iuſtificatus non ſum. Et diuus Ioannes ait, Si dixerimus quod peccatum in nobis non eſt, noſipſos nos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. Quis igitur ita Satanico inflatus faſtu ſeſe iuſtum exiſtimare eouſque auderet?ut eccleſiæ præceptionibus minimè ſe egere putaret. Eſſet is perquam ſimilis Phariſæo,quem CHRISTVS in euangelio reprehēdit,omnes enim ægrotantes ſalubritatis à ſancta matre eccleſia pręparatis pharmacis egemus. Qui uerò ſe ſanum ratus,hoc medicamen-

tum amoliretur,iam arrogantiæ, & non adoptionis filius: non ſapiens ſpiritalis, ſed ſtultus: non liber, ſed ſeruus: non iuſtus, ſed iniuſtus planè dici poſſet. Neminem igitur putent pſeudoeuangeliſtæ, aſſertæ Chriſtianæ libertatis uelamento, uel impune poſſe eccleſiaſticam tranſgredi præceptionem. Et licet Apoſtolus dicat, Chriſtianos qui ſpiritu Dei aguntur, non eſſe ſub lege: intelligit, ſub lege cogente, & minante. Vt enim diuus Auguſtinus, id explicans, ait: Sub lege eſt enim, qui timore ſupplicij quod lex minatur,non amore iuſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab operæ peccati, nondum liber neque alienus à uoluntate peccandi. In ipſa enim uoluntate reus eſt, qua mallet, ſi fieri poſſet,non eſſe quod iuuerit,ut liberè faciat, quod occultè deſiderat. Ergo ſi ſpiritu (inquit) ducimini,non eſtis adhuc ſub lege: utiq; lege,quæ timorem incutit, non tribuit charitatem: quæ charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per legis literam, ſed per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hæc enim lex libertatis, non ſeruitutis, non quia charitatis utique non minoris, de qua & Iacobus Apoſtolus ait, Qui reſpexerit in legem perfectæ libertatis. Vnde diſce ſin Apoſtolus iam lege Dei terrebatur, ut ſeruus,ſed condelectabatur ei ſecũdum interiorem hominem: uidet tamen adhuc aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ. Ita & hic,ſi ſpiritu,inquit, ducimini non eſtis adhuc ſub lege.Inquantum quiſq; ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege: & inquautum condelectatur legi Dei,non eſt ſub legis timore:quia timor tormentum habet,non delectationem.

Aug. cõtra pelagi.ca.57.

Iacobi cap.1.

Diluitur præcipua pro pſeudoeuangeliſtis adducta ratio, & fidem ſine operibus neminem ſaluum facere oſtenditur,

ditur, & quomodo iuſtum ex fide uiuere intelligi debeat, declaratur.

Ad Roman. cap.1. Ad Hebra. cap.10. Ad Roman. cap.3. Ad Galat. cap.2. & 3. Hierony. ad Rom. cap.3.

PRædiſſertis uerò haudquaquam obſiſtit, dum Apoſtolus ait iuſtum ex fide uiuere: atque ſæpius per fidem, non ex operibus iuſtificari hominem aſſerit: quandoquidem (ut diuus Hieronymus inquit) conſiderandum eſt, quia non dixerit, Homo, aut uir ex fide uiuit, ne occaſionem tribueret ad uirtutum opera contemnenda: ſed, Iuſtus ex fide uiuit: ut quicunq; fidelis eſſet, & per fidem uicturus, non aliter poſsit ad fidem uenire, uel in ea uiuere, niſi prius iuſtus fuiſſet, & puritate uitæ quaſi quibuſdam ad fidem gradibus aſcendiſſet. Poteſt ergo fieri, ut ſit aliquis iuſtus, & tamen non uiuat abſque fide Chriſti. Si legenti ſcrupulus commouetur, Pauli uerba ſuſcipiat, in quibus de ſe ait, Secundum iuſtitiam, quæ in lege eſt, ſine reprehenſione. Erat igitur Paulus tunc iuſtus in lege, ſed necdum uiuere poterat, quia non habebat in ſe CHRISTVM loquentem, Ego ſum uita: in quem credens, poſtea cœpit & uiuere. Faciamus & nos aliquid ſimile huic, quod dicitur. Iuſtus ex fide uiuit: & dicamus, Caſtus ex fide uiuit, ſapiens ex fide uiuit, fortis ex fide uiuit, & à cæteris uirtutum partibus uicinam ſententiam proferamus aduerſum eos, qui in Chriſtum non credentes, fortes, & ſapientes, temperantes ſe putant eſſe, uel iuſtos: ut ſciant, nullum abſque Chriſto uiuere, ſine quo omnis uirtus in uitio eſt. Sic ille. Intellexit proinde diuus Hieronymus Apoſtoli uerba, Iuſtus ex fide uiuit, nullam iuſtitiam, nullamq; uirtutem ſine fide, ſine Chriſto ad uitam ſufficientem eſſe. Non tamen propterea excluduntur uirtutum opera, quibus ceu gradibus ad iuſtitiam pertingamus: hæc ſunt, abſtinentiæ, & orationes. Vnde idem Hieronymus ad De-

medriadem de uirginitate ſeruanda, Ieiunium non perfe-ćta uirtus, ſed cæterarum uirtutum fundamentum eſt, ac purificatio, atque pudicitia, ſine qua nemo uidebit Deum, gradus præbet ad ſumma ſcandentibus. Sin uerò Apoſtoli uerba intelligamus, Iuſtum ex fide, id eſt, per fidem ſubinferendo uiuere: non ob id contemni poſſunt iuſtitiæ exercitamenta, atque uirtutum opera, quibus ceu gradibus in iuſtitiam peruenimus. Sed intellexit Apoſtolus (ſi diuo credamus Auguſtino) de ea iuſtitia quam ipſe declarat, quam euangelicam definiuit, cuius opera ex dilećtione procedunt, & quàm ſine charitatis operatione nihil prodeſſe aſſeuerat, ut paulò pòſt ſubiungemus. Vnde dum ad Romanos ſcribens ait, Arbitramur enim hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. Et rurſum: Si enim Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum: & quæ ſequuntur uſque ad calcem. Et iterum ad Galatas: Scientes autem quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem IESV CHRISTI, & nos in IESVM CHRISTVM credidimus, ut iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis, propterea quòd non iuſtificabitur omnis caro ex operibus legis. Quibus Apoſtolus manifeſtè deſignare uidetur, iuſtificationem fidei, & non operibus aſcribendam eſſe. Intellexit planè de antiquæ ſeruilis legis operibus, quæ gentibus nouiter ad fidem conuerſis minimè ad ſalutem neceſſaria eſſe certiſsimis rationibus perſuadebat, ut per Apoſtolos & ſeniores in Hieroſolymitano conuentu definitum fuerat: ut inde Paulus manifeſtò conficeret, IESV CHRISTI fidem gentes in eum credentes ſaluas facere, licet in Iudæorum lege neque nati, neque inſtrućti, neque operantes eſſent. Et propterea quum dixiſſet, Arbitramur

Hierony. ad Demedriadem.

Ad Roman. cap. 3.

Ad Roman. ca. 4. et ſeq.

Ad Galat. cap. 2.

Luc. in act. Apoſt. ca. 15.

Ad Roman. cap.3. bitramur enim hominem per fidem iuſtificari, ſine operibus legis,ſtatim ſubiunxit, An Iudæorum Deus tantum? Nónne & gentium? Imò & gentium, quoniam quidem unus eſt Deus, &c. Et idem Paulus clarius uno uerbo *Ad Galat. cap.10.* omnia præcedentia explanat: Nos enim (inquit) ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Nam in CHRISTO IESV neque circuncifio aliquid ualet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur. Tóllit proinde antiquæ legis cerimonialia,tum & ſeruilia opera:& fidem in Chriſto Ieſu, quæ per charitatem operetur iuſtificationem introducere,declarat: non fidem otioſam,& emortuam, de *Iacobi cap.2.* qua loquitur diuus Iacobus inquiens. Et fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Nihil enim tum, quum bonis operibus uacua eſt, ad ſalutem promeretur. Non intellexit quin fides etiam à charitate & bonis operibus ſeparata, quo ad alios uirtutis oſtenſionem habere *1 ad Corint. cap.13.* poſsit, ut Apoſtolus dixerat:Et ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam,charitatem autem non habeam, nihil ſum.Ecce quomodo dicit fidem emortuam ſine charitate ita haberi poſſe,ut mõtes transferantur iuxta Chriſti promiſsionem in euangelio, Amen dico uobis, niſi abundauerit fides ueſtra ſicut granum ſinapis,&c. Vnde *Ad Roman. cap.4.* licet diuus Paulus Abraham ex fide, & non ex operibus iuſtificatum fuiſſe, aſſerere uideatur:tamen diuus Iacobus *Iacobi cap.2.* Apoſtolus ait, Abraham pater noſter nónne ex operibus iuſtificatus eſt? Abſit autem ut inter ſe Apoſtolos euangelizantes, uel paululum diſſenſiſſe arbitremur. Sed intellexit Paulus, fidem Abrahæ fuiſſe reputatam ad iuſtitiam,non otioſam, ſed per charitatem in opus prodeuntem: quod declarat diuus Iacobus,dum ait,Offerens (inquit) Abraham Iſaac filium ſuum ſuper altare:& ſubiun-

git,

git, Vides, quòd fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt. Et paulò pòſt: Videtis quòd ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum: clarè intelligens, fidem ipſam ſimul cum bonis operibus per charitatem factis ad iuſtificationem concurrere: ut nec fides ipſa charitatis operibus uacua, ad ſalutem prodeſſe poſsit. Sicut enim (inquit Iacobus) corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt, nec opera ipſa ſine fide & charitate proſunt. Vt enim dixerat Apoſtolus: Et ſi diſtribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam nihil mihi prodeſt. Itaque opera extra charitatem facta nihil proſunt ad ſalutem obtinendam. Nec pariter proſunt ad promerendam ſalutem, ſi extra fidem fiant. Vnde diuus Iacobus, quum loquitur de operibus, intellexit de charitate informatis, qualia erant opera Abrahæ, & opera Raab meretricis: & eo modo loquitur etiam Apoſtolus, dum ait, Fides autem eſt quæ per charitatem operatur. Seruilia autem opera antiquæ legis nullo pacto neceſſaria ſunt: ſed ſublata per gratiam CHRISTI IESV, qui nos libertate donauit, ut inſit idem Apoſtolus. Ita ut fides ſola, ſine illis operibus antiquæ legis carnalibus & ſeruilibus, iuſtitiam inducat: ſed non ſola fides ſine charitatis operibus, utpote mandatorum Dei, & ſponſæ eccleſiæ obſeruatione. Et diuus Ioannes ob id ait: Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata eius cuſtodiamus. Et iterum: Et qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo. Et paulò ante: Filioli mei, non diligamus uerbo neque lingua, ſed operæ & ueritate: in hoc cognoſcimus, quòd ex ueritate ſumus. Si uis (ait Chriſtus) ad uitam ingredi, ſerua mandata.

1. ad Corint. cap. 13.

Ad Galat. cap. 5.

Ad Galat. cap. 4.

1. Ioan. ca. 4.

1. Ioan. cap. 3.

p 2 Itaque

Itaque opera charitatis non ſolum fidem demonſtrant,& probant,ut pſeudoeuangeliſtæ aſtruere moliuntur, ſed ad iuſtificatiouem, quæ per fidem fit,concurrunt: ita ut ex operibus charitatis per fidem factis iuſtificetur homo, ſicut iuſtificatur ex fide charitatis operibus informata, utrunque enim in idem reincidit. Et dum Eſaias ait: Iuſtitiæ ueſtræ tanquam pannus menſtruatæ: alloquebatur Iudæos eorum carnis ſeruiles iuſtitias, menſtruatæ mulieris panno comparans,de quibus per Ezechielem Deus dixerat, Dabo illis leges non bonas, in quibus non uiuent: non autem intellexit de præceptorum decalogi iuſtitijs, uel alijs ad uirtutis exercitationem pertinentibus, quæ per charitatem & fidem procedunt: illa enim Deo placent,& accepta ſunt: & ſic perperam menſtruatæ mulieris panno compararentur. Et quum Apoſtolus ait, Iuſtificati gratis per gratiam ipſius: Clarè idem ſe declarat, dum ſubiungit, Per redemptionem quæ eſt in CHRISTO IESV, quem poſuit Deus propiciatorem per fidem in ſanguine ipſius: & quæ ſequuntur. Iuſtificationem noſtram principaliter, & originariæ prodire ex gratia Chriſti Ieſu.per cuius mortem gratis nobis uita reſeruata eſt, & iuſtitiæ uia aperta, ut in illum credentes fide, non quidem otioſa, ſed,ut idem explicat,quæ per charitatem operetur, iuſtificati per gratiam CHRISTI IESV uitam æternam habeamus. Quod idem Apoſtolus clarius explanat,dum ad Titum ait: Quum autem benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritusſancti,quem effudit in nos abundè per IESVM CHRITVM ſaluatorem noſtrum: ut iuſtificati per gratiam ipſius heredes

Ezec. ca. 20.

Ad Roman. cap. 3.

Ad Tit. ca. 3.

redes

redes ſumus ſecũdum ſpem uitæ æternæ. Germanam proinde iuſtificationis uiam, & ſalutis originem, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ex Dei miſericordia prodijſſe Apoſtolus aſſerit. Atqui ut ea incedamus uia, & miſericordiæ participes efficiamur, pia opera neceſſaria ſunt. Ob quod mox idem Apoſtolus ſubiungit: Fidelis ſermo eſt, de his uolo te confirmare, ut curent bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo. Iam gratuitam non ex operibus iuſtitiæ humanæ, ſed ex Dei miſericordia, & gratia redemptionem & ſaluationem promiſerat. Sed ne inde collati beneficij ſine bonis operibus quiſquam ſe participem eſſe autumaret, ſtatim ſubiungit eum qui credit Deo, & ſic habentem fidem, ut in ſuſcepta confirmetur gratia bonis præeſſe operibus debere, ut conceſſa fruatur gratia. Non poſſet profectò in ea re Apoſtolus apertius loqui. Et magis ſpeciatim opera ipſa, quæ ex fide & charitate procedunt, uitam pro præmio mereri, contra pſeudoeuangeliſtarum ſententiam: maligna uerò opera gehennam, utriuſque inſtrumenti clariſsimis comprobari autoritatibus poteſt: ex quibus ea duntaxat citabimus, quæ indiuiduatim rem ipſam contingunt. In primis uates ille regius ait: Da illis ſecundum opera eorum, quid dare Deum *Pſalm.27.* ſecundum opera? niſi uel præmium bonis rependere operibus, uel gehenna maligna plectere? Et Sapiens in Prouerbijs ait, Laudent eam in portis opera eius. Laudent in *Prouerb.31.* porta: id eſt, in exitu opera, ut uitam promereamur æternam. Sed & in Eccleſiaſtico expreſsim dicitur: Reddet *Eccleſ.ca.16.* unicuiq; ſecundum meritum operum ſuorum. Non poſſet eſſe expreſsior textus. Atqui in nouo Teſtamento hoc primum in euangelio Chriſtus declarat, inquiens: Qui bona egerint præcedent in reſurrectionem uitæ: qui uerò

mala egerint,in reſurrectionem iudicij. Bonis igitur operibus uitæ præmium pollicetur: malignis uerò æternæ iudicium damnationis comminatur. In quam ſententiam planè omnes eius conſpirant Apoſtoli, quorum dogmata ſcripta ſacro in canone ſunt:diuus nanque Paulus ad Co-
1.ad Corint. cap.3. rinthios ſcribens ait,Vnuſquiſque autem mercedem accipiet ſecundum laborem ſuum:Dei enim ſumus adiutores. Et paulò infra: Vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit:dies enim domini declarabit,quia in igne reuelabitur,et uniuſcuiuſq; opus quale ſit,ignis probabit. Si cuius opus manſerit,quod ſuperædificauit mercedem accipiet. Si mercedem accipiat,ut Paulus ait,ergo opus mercedem meretur: dignus eſt enim mercennarius mercede ſua, ut Chriſtus ait. Sed in hac re intelligo dignitatem pro congruitate ex diuinæ acceptione bonitatis.Non enim ſunt condignę paſsiones huius ſeculi ad futuram gloriam, ut Paulus ait.
1. Pet. cap.1. Diuus quoque Petrus planè hanc ſententiam affirmat, infit enim: Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam ueſtrã uacationem & electionem faciatis.Et
1.Pet.cap.4. iterum idem: Itaque hi qui patiuntur ſecundum uoluntatem Dei,commendent animas ſuas Deo in benefactis:benefactis animam Deo commendari cenſens. Et rurſum:
2. Pet.cap.3. Quum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet uos eſſe in ſanctis conuerſationibus, & pietatibus expectantes,& properantes in aduentum diei domini.Et diuus
2. Ioan. cap. unica. Ioannes:Videte uoſmetipſos,ne perdatis quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam accipiatis,Mercedem igitur plenam operationis eſſe,conſectaneè opera meritoria. Vnde
1. Ioan.cap.5. dum idem dixerat, Omnis qui credit, quoniam eſt Ieſus
3. Ioann cap. unico. Chriſtus, ex Deo natus eſt. Alibi id explanans ait: Qui benè facit, ex Deo eſt: qui malè facit; non uidet Deum.

Sicq;

Sicq; fidem eam,qua ex Deo quis natus dicitur,benefactis informatam eſſe debere declarat. Et diuus Iacobus, in eandem accedens ſententiam, inquit: Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in ſuo facto erit. Ecce beatitudinem dicit diuus Iacobus in facto conſiſtere. Et pro concluſione diuus Ioannes clariſsimè hanc abſoluit difficultatem in Apocalypſi: Iudicatum eſt (ait) de ſingulis ſecundum eorum opera. Hiſce palam fit,utriuſque & noui & ueteris inſtrumenti canonibus, opera ex fide & charitate procedentia ad uitam meritoria eſſe, falſamq; & erroneam ſententiam, quæ ſolam fidem ſaluum facere aſſerit,& opera ipſa fidei demonſtrationem tantum eſſe. Nempe (ut præfati ſumus) ad ſalutem conferunt,& cooperantur fidei, & fides illis cooperatur,& ſimul iuncta meritoria ſunt. *Apocalypſ. cap. 20.*

Ex multorum ſanctorum doctorum teſtimonijs demonſtratur erroneum eſſe, aſſerere fidem ſine operibus ſaluum efficere poſſe: atque opera ipſa per fidem & charitatem procedentia uitam promereri æternam ex diuinæ congruitate acceptionis, manifeſtamq; hæreſim eſſe,affirmare nullũ eſſe in hominũ operibus meritum.

PORrò ad uitam promerendam æternam ſolam ſine operibus fidem haudquaquam ſatis eſſe,ſed operibus per fidem & charitatem procedentibus,cœleſtem acquiri hæreditatem medio meriti (& ſi non condigni: quia non ſunt condignæ huius ſeculi paſsiones,ut Paulus ait, ad futuram gloriam) omnium penè doctorum ſacrorum ſententia fuit. In primis nanque diuus Irenæus Lugdunenſis antiſtes planè hanc opinionem aſtruit, inquiens: Secundum

Iren. aduerſ. om hæreſ. libro 4. ca. 72.

dum igitur hanc rationem & ſuum proprium bonum oſtendens dominus,& ſui arbitrij, ac ſuæ potentiæ hominem ſignificans,dicebat ad Ieruſalem,quotiens uolui congregare filios tuos,quemadmodum gallina pullos ſuos ſub aſcellis,& noluiſti. Quapropter relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. Qui autem his contraria dicunt, ipſi impotentem introducunt dominum , ſcilicet quaſi non potuerit perficere hoc quod uoluerit , aut rurſum ignorantem natura Choïcos ut ipſi dicunt,& eos qui non poſſunt accipere eius incorruptelam. Sed oportebat (inquit) eum neque tales Angelos feciſſe , ut poſſent tranſgredi , neque homines qui ſtatim ingrati exiſterent in eum , quoniam rationabiles,& examinatores, & iudiciabiles facti ſunt, & non quemadmodum irrationabilia ſunt animalia , quæ ſua uoluntate nihil poſſunt facere, ſed cum neceſsitate, & ui ad bonum trahuntur : in quibus unus ſenſus , & unus mos inflexibilis , & ſine iudicio : qui nihil aliud eſſe poſſunt , præterquam quod facti ſunt. Sic autem nec ſuaue eſſe eis quod eſt bonum , neque precioſa communicatio Dei , neque magnopere appetendum bonum , quod ſine ſuo proprio motu,& cura, & ſtudio proueniſſet, ſed ultrò & otioſe inſitum. Ita ut eſſent nullius momenti boni, eo quòd natura magis quàm uoluntate tales extiterint, & ultroneum haberent bonum ſed nõ ſecundum electionem. Et propter hoc nec hocipſum intelligentes,quoniam pulchrum ſit quod bonum , neque fruentes eo. Quæ enim fruitio boni apud eos , qui ignorant ? quæ autem gloria his , qui non ſtuduerunt illud ? quæ corona his , qui non eam ut uictores conſecuti ſunt ? Et propter hoc dominus dixit uiolentum regnum cœlorum , & qui uim faciunt (inquit) diripiunt illud:hoc eſt,qui cum ui & agone uigi-

lantes

lantes inſtanter diripiunt illud. Propter hoc autem & Paulus Apoſtolus Corinthijs ait:Neſcitis quoniam qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit brauium. Sic currite,ut comprehendatis. Omnis autem qui agonizatur, in omnibus continens eſt: Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant,nos autem incorruptibilem. Ego autem ſic curro, non in incerto: ſic pugno, non quaſi aërem cædens:ſed liuidum facio corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte alijs prædicans, ipſe reprobus efficiar. Bonus igitur agoniſta ad incorruptelæ agonem hortatur nos, uti coronemur,& precioſam coronam arbitremur, uidelicet quæ per agonem nobis acquiritur,ſed non ultro coalita. Et quanto per agonem nobis aduenit, tanto eſt precioſior: quanto autem precioſior, tanto eam ſemper diligamus.Sed neque ſimiliter diliguntur quæ ultrò adueniunt, quàm illa quæcunque multa ſollicitudine adinueniuntur. Quoniam igitur pro nobis erat plus diligere Deum,cum labore hoc nobis adinuenire dominus docuit,& Apoſtolus tradidit.Aliàs autem eſſet noſtrum inſenſatum bonum quod eſſet inexercitum. Sic ille. Et rurſum idem, & clarius: Poſuit Deus in homine poteſtatem electionis, quemadmodum & in Angelis: etenim Angeli rationabiles, ut hi quidé qui obediſſent iuſtè bonum ſint poſsidentes,datum quidem à Deo,ſeruatum uerò ab ipſis.. Qui autem non obedierunt, iuſtè non inueniantur cum bono,& meritam pœnam percipiant. Quoniam Deus quidem dedit benignè bonum, ipſi uerò non cuſtodierunt diligenter illud, neque precioſum arbitrati ſunt:ſed ſupereminentiam bonitatis contempſerunt.Abijcientes igitur bonum & quaſi reſpuentes meritò omnes in iuſtum iudicium incident Dei:quemadmodū & Apo-

ſtolus Paulus in ea epiſtola, quæ eſt ad Romanos teſtificatur, dicens ita: An diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam & cor tuum impœnitens theſaurizas tibimetipſi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Gloria autem & honor (inquit) omni operanti bonum. Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum & Apoſtolus teſtificatur in eadem epiſtola, Et qui operantur illud gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, quum poſsint non operari illud: hi autem qui illud non operantur, iudicium iuſtum excipient Dei, quoniam non ſunt operati bonum, quum poſsint operari illud. Sic ille. Et idem magis expreſsè: Homo uerò ait, rationabilis, & ſecundum hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt, ut aliquando palea fiat. Quapropter & iuſtè condemnabitur, quoniam rationabilis factus amiſit ueram rationem: & irrationabiliter uiuens, aduerſatus eſt iuſtitiæ Dei, tradens ſe omni terreno ſpiritui, & omnibus ſeruiens uoluptatibus: quemadmodum Propheta ait, Homo quum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Et rurſum idem: Exceptorium diuinæ bonitatis, & organum clarificationis eius homo, gratus ei qui fecit ſe: & iterum exceptorium iuſti iudicij eius homo ingratus, & ſpernens plaſmatorem, & non ſubiectus uerbo eius: qui plurimum fructificantibus & plus habentibus, dominicum argentum daturum ſe pollicitus eſt. Euge (inquit) ſerue bone, & fidelis, quoniam in modico fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui. Clarè igitur diuus Irenæus ante citatis uerbis

Iren. aduerſ. om. hæreſ. libro 4. cap. 9.

Iren. lib. 4. cap. 24. aduerſ. om. hæreſ.

bonorum operum fructificationem ad uitam promerendam æternam, diuina cooperante gratia, neceſſariam exiſtimat: unde pulchrè idem infit, Et propterea tribulatio neceſſaria eſt his, qui ſaluantur: ut quodam modo contriti, & attenuati, & conſparſi per patientiam uerbo Dei, & igniti apti ſint ad conuiuium regis: quemadmodum quidam dicit de noſtris, propter martyrium in Deum adiudicatus ad beſtias, Quoniam frumentum ſum Chriſti, & per dentes beſtiarum molor, ut mundus Dei panis inueniar. Quinimo idem Irenęus dicit Màrcioniſtas, & Valentinianos ſuæ tempeſtatis hæreticos inter alios errores hunc habuiſſe, ut per fidem & charitatem ſine operibus hominem ſaluari dicerent, cuius uerba recenſere placuit. In conſcriptionibus autem illorum ſic conſcriptum eſt, & ipſi ſic exponunt, Ieſum dicentes in myſterio diſcipulis ſuis & Apoſtolis ſeorſum locutum, & illos expoſtulaſſe, ut dignis, & aſſentientibus ſeorſum hæc traderent, per fidem enim & charitatem ſaluari. Reliqua uerò indifferentia quum ſint, ſecundum hominum opinionem quædam quidem bona, quædã autem mala uocari, quum nihil natura malum ſit. Et iterum idem Irenęus recenſet id genus hæreticos ſuæ tempeſtatis, bonam conuerſationem minimè neceſſariam ſibi fore, quòd ſpiritales eſſent, aſtruere. Et paulò infra ſubiungit: Nos quidem, qui per timorem Dei timemus etiam uſque in mentibus noſtris, & ſermonibus peccare arguunt, quaſi idiotas, & nihil ſcientes: & ſemetipſos extollunt, quaſi perfectos, & uiros ſpiritales. Et rurſum ait: Plurimi, autem & contemptores facti, quaſi iam perfecti ſine reuerentia, & in contemptu uiuentes, ſemetipſos uocant ſpiritales. Hi ſunt profectò noſtri ſeculi hęretici, qui timorem Dei abijciunt,

Iren. li. 5. aduerſ. om. hareſ. circa fi.

Iren. lib. 1. cõtra omn. hareſ. cap. 24.

Iren. lib. 1. cõtra omn. hareſ. cap. 1.

Iren. libro 3. ca. 15. aduer. omn. hareſ.

alios contemnunt,& ſeipſos extollunt,perfectos & ſpiritales uocantes: bonorum operum nullam uel minimam habentes rationem, & per ſolam fidem & charitatem ſeſe ſine bona operatione ſaluari poſſe affirmantes. Hæc planè ſunt eorum delyria ut ſuprà comprobauimus. Contra quos idem Irenęus inquit, Hæc autem uidelicet omnium hæreticorum oſtenſio, & eorum qui non meditantur eloquia Dei, neque operibus iuſtitiæ adornantur, quibus & dominus ait,Mihi dicitis,domine, domine, & non facitis quæ dico uobis. Qui enim ſunt tales, in patrem quidam dicunt,& filium ſe credere, nunquam autem meditantur eloquia Dei,quemadmodum oportet: neque iuſtitiæ operibus ſunt adornati,ſed quemadmodum prædiximus,porcorum & canum aſſumpſerunt uitam,immundiciæ & gulæ,& reliquæ incuriæ ſemetipſos tradentes. Eiuſdem planè ſententiæ (ad uitam promerendam æternam ſolam fidem minimè ſatis eſſe, ſed ad eam obtinendam & charitatis concurrere opera, homini cencesſi libertate arbitrij electa neceſſum eſſe) fuit uir nō mediocris doctrinę Tertullianus,dum ait: Non poneretur lex ei,qui non haberet obſequium debitum legis,in ſua poteſtate:nec rurſus comminatio mortis tranſgreſsioni adſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur. Sic & in poſteris legibus creatoris inuenias proponentis ante hominem bonum, & malum, uitam, & mortem. Et pleraque alia ad eam rem, per duas uel tres cartas ſequentes explicat: quibus manifeſtè cuique approbat, deſipere eoſipſos, qui merendo uel demerendo arbitrij libertatem inficiantur.In eandem planè opinionem accedit diuus Cyprianus, affirmans, ad uitam promerendam neceſſaria eſſe & mandatorum obſeruationem,atque ex illis arbitrij

Iren. libro 5. contra omn. hæreſ.

Tertul.lib.2. aduer.Marcioniſtas.

Cyprian.de unita eccleſ. cap.17.

arbitrij libertate electis, coadiuuante diuina gratia, fidelem uitam promereri: Immortalitate autem inquiens potiri quomodo poſſumus, niſi ea à quibus mors expugnatur, & uincitur, Chriſti mandata obſeruemus: ipſo monente,& dicente, Si uis ad uitam uenire, ſerua mandata. Et iterum. Si feceritis quod mando uobis, iam non dico uos ſeruos,ſed amicos. Hos denique fortes dicit & ſtabiles, hos ſuper petram robuſta mole fundatos, hos contra omnes tempeſtates, & turbines ſeculi immobili & inconcuſſa firmitate ſolidatos. Qui audit (inquit) uerba mea, & facit ea, ſimilabo eum uiro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram: deſcendit pluuia, aduenerunt uenti,& impegerunt in domum illam,& non cecidit, fundata enim erat ſupra petram. Verbis igitur inſiſtere quæcunque & docuit,& fecit,diſcere,& facere debemus. Cæterùm credere ſe in CHRISTVM quomodo dicit, qui non facit, quod CHRISTVS facere præcepit: aut unde peruenict ad præmium fidei, qui fidem non uult ſeruare mandati: nutet,neceſſe eſt,& uagetur,& ſpecie erroris arreptus, uelut puluis quem uentus excutit, uentiletur, nec ambulando proficiet ad ſalutem,qui ſalutaris uiæ non tenet ueritatem.hæc Cyprianus. Audiant denique (quæſo) quid ad hanc rem diuus Ioannes Chryſoſtomus dixerit, de Abraham loquens: At forte dicent aliqui, quòd uir ille gratiam multam à Deo conſecutus ſit,& omnium dominus,eius ſingularem habuerit curam.Fateor(inquit) ita eſſe, & ego: uerùm niſi primùm & ipſe quod ſuum erat feciſſet, non tanta à domino obtinuiſſet. Ea propter non hoc ſolùm uide,ſed in uno quoq; diligenter attende quomodo primum in omnibus uirtutis ſuæ iudicium exhibuerit, atque ſic diuinum meruerit pręſidium. Et paulò

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 41.

poſt ſequitur: Nam ſi uoluerimus ſobrij eſſe, & uigiles, facilius morbos animæ quàm corporis emendabimus. Et ſubiungit: Et tu ne putes honorem tantum iuſto conceſſum diuinæ eſſe bonitatis duntaxat, non præcedentibus meritis intelligi debet. Vide quomodo diuina ſcriptura docet nos, quòd ipſe ſibi honoris ſui fuerit autor, non principaliter, ſed meritoriè. Ita ſanè loqui intelligendus eſt Chryſoſtomus obediendo mãdatis diuinis magna ſedulitate. Et pulchrè idem in eam ſententiam inquit: Vidiſtis quomodo omnes nos erudierit beatus Matthæus, dum ſtatim obediens, & tantam morum mutationem præ ſe ferens, quòd in uoluntate noſtra comite ſuperna gratia ſitæ ſint & uirtutes, & uitia, & quòd opera adhibita poſſumus fieri uirtutibus conſpicui, & deſides facti, in peccati præcipitium deferri. Accedit etiam diui Cyrilli ſententia, ſaluatoris nempe apud Ioannem uerba explicans, Omnem palmitem in me non ferentem fructum, &c. inquit: Qui ergo per fidem Chriſto ſolummodo coniunguntur, ſola illi confeſſione inhærentes, nec charitatis uimine ſe colligantes, palmites quidem ſunt, ſed non fructuoſi. Nam fides abſque operibus mortua quædam res eſt. Huiuſmodi autem palmites (ſubiungit) agricolæ falx ſeueriſſimè amputat, & igni tradit: hoc enim modo de infructuoſis arboribus ſolet fieri. Sic ille. Huic etiam opinioni luculenter aſſentit diuus Hilarius in ſecundi explanatione Pſalmi inquiens de Chriſto: Nam amari ſe, ſibiq; nos obſequi uult. Idcirco ut nobis benè expetat, ut digni beatitudinis ſuæ ac bonitatis munere per meritum amoris ſui, & obſequij iudicemur. Sic ille. Planè obſequij charitatis uel operum Chriſti amore actorum meritum eſſe cenſet diuus Hilarius ut digni beatitudinis munere inueniamur.

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 53.

Qui

Qui & paulò pòſt ſubiungit, magis ad rem appoſitè. Nam unicuiq; noſtrum libertatem uitæ ſenſumq; permiſit, non neceſsitatem: alterutrum affigens, ut unumquemq; ex natura, bonum, malúmue eſſe lex cogeret. Sed qui nos per beneuolentiā utendæ beatitudinis ſuæ creaſſet, profectum nobis ad id meritum uitæ innocentis, honeſtæq; conſtituit. Quid autem (ſubiungit) honoris, ac præmij, bonitatis neceſsitas mereretur? quum malos eſſe uis quædam nobis conſerta, non ſineret. Voluntati ergo præmiſſa bonitas eſt, ut præmium ſibi uoluntas bonitatis acquireret, ut eſſet nobis æternæ huius beatitudinis profectus atq; uſus ex merito, non neceſsitas indiſcreta per legem. Et quanquam nos ad uoluntatem bonitatis idem ad benè honeſteq; uiuendum per ſpem promerendæ, & utendæ ſuæ bonitatis illiceret, pœnam tamen deuitatæ, & contemptæ bonitatis adiecit: ut quum libertatem nobis uoluntatis ad dignitatem promerendam reliquiſſet, quia meritum neceſsitas naturæ haberet, libertatem ipſam quotidie præpoſitus è contrario pœnæ timor argueret: atque ita & per rationem æqui, & iuſti ad meritum præmij præmiſſa libertas eſt, & per bonitatem Dei uis libertatis metu conſtitutionis arctata eſt, ut benè uelle meriti ſpes moneret, malè nolle propoſitæ ultionis pœnæ ſuaderet. Sic ille. Qui & planè rurſum demonſtrare uidetur pſeudoeuangeliſtis uel eo maximè ueram doctrinam, claramq; ſcripturæ intelligentiam denegari, quòd ipſi operum, & ſanctæ uitæ meritum omne inficias eant, ex quo tamen ueritas doctrinæ acquiritur. In prælud ijs enim Pſalmorum Hilarius infit, Prius enim in bonis operibus uiuendum eſt, ut perfecta poſſet ea quæ deinceps ſuccedit diuini ſacramenti eſſe cognitio, ſecundum id quod dictum eſt. Deſideraſti ſapien- *Hilarius in Pſalmorum præludijs.*

tiam,

nemus ergo ingredi in illam requiem: Rectè autem (inquit) feſtinemus dixit: quum haudquaquam, ut ad huiuſmodi requiem præbeat aditum, ſatis uirium habere ſola per ſe fides uidetur, niſi & optimus adſit uiuendi modus & omnia concludens idem Athanaſius ſuper hiſce uerbis Apoſtoli ad Epheſios, Ieſum haud dubiè conſtat, &c. At qui inquit, ubique Paulus cum fide charitatem coniungit quæ uitam pariat uirtute ornatam: horum quidem altero dempto, fiet profectò alterum ſuperuacaneum, & inane. Fidem dico (ſubiungit) uita carentem, ſuperuacaneam fore, uti contra ſine fide & uitam. Sed quid immoramur? nam idem Athanaſius, dum Apoſtolus ait, Corinthios monens, Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Et paulò pòſt, Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ueriſsimè hanc pſeudoeuangeliſtarum inſaniam detegere palamq; facere aſtruit, dum hi abſtinentiæ, ieiunij, & ſimilium piorum operum, ac iuſtitiæ exercitamentorum, quæ eccleſiaſticis præcipiuntur mandatis, nullam, ceu ſola ſufficiente fide, habendam rationem nimium impudenter arbitrantur. Hoc (inquit Athanaſius) loco Apoſtolus Corinthios gulæ fuiſſe, & uentri addictos, fouiſſeq; item id uitij ſub quodam perfectionis prætextu, quia perfectioris ſe fidei crederent. Ipſe enim, inquit, laborem ſubeo omnem, ut continentius uiuam. Et ſubiungit hæc explanando uerba, Ne forte quum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Vel hiſce ex uerbis, inquit Athanaſius, abſtinentiores hos reddit, perinde ac ſi inquiat, Si mea hæc haudquaquam eſt ad ſalutem ſatis uel doctrina, uel prædicatio, niſi & inſontem ne quibuſuis præbeam, & prauis liberum facinoribus, quo pacto ipſi per ſolam fidem aſſequi ſalutem poteritis, qui tot ſitis

Athanaſ. alias Theoph.

peccatis deuicti. Num & noſtræ ætatis hæretici ſeſe perfectioris fidei eſſe credentes,eaq; ſola uitam conſequi,abſtinentiæ & ieiunij mandata non ſolùm ſoluunt, uerùm etiam exuflant, impudenter illorum obſeruatione aſſerentes Chriſtianam lædi libertatem & adoptionis filios ſub iugo ſublatæ priſcæ ſeruitutis rurſum contineri? Sed profectò dum hæc aſtruunt, ad aſſertam Iudæorum ſeruitutem, quam uerbo damnant, re ipſa fideles reuocare contendunt, ac planè Iudæorum imitantur mores, quos taxauit Apoſtolus ad Romanos ſcribens, Et declinate ab illis, huiuſmodi enim CHRISTO domino non ſeruiunt, ſed ſuo uentri. Iudæos, ait Athanaſius, hos eſſe iudicat Apoſtolus, quos acerrimè ſolet guloſitatis inſimulare. Iſtiuſmodi enim eſt Iudæorum uniuerſum genus. Ex hac igitur (ſubiungit) uentris ingluuie, & uitiorum ſeruitute omnes eruperunt hęreſes. Adiecit autē,eum qui ſit uentri & gulæ addictus,Chriſto ſeruire nō poſſe.Sic ille.Pſeudoeuangeliſtæ proinde & aſſectatores,qui laudabilem abſtinentiæ, & ieiuniorum modum ablegare nituntur Iudæorum mores, quos maximè damnant, imitari in propatulo eſt. Itaque liberos Chriſtianos,ſeruos rurſum efficere cogunt. Et quia paululum diuertimus,in uiam redire oportet. Pia quæ per charitatem procedunt opera, ſalutem ipſam promereri, & non ſolùm fidem, horum fructu uacuam, uel planè affirmauit cum præſcriptis ſanctæ eccleſiæ doctoribus diuus Ambroſius, inquiens: Omnes enim nos oportet adeſſe ad tribunal Chriſti. Ideo uniuſcuiuſq: anima præuideat rependenda ſibi merita conuerſationis ſuæ. Et pulchrè ait: Propria corporis,id eſt, quod ſuſcepit regendum, ut ſi bene rexit præmium referat, propter quod in ſpe ſubiecta: ſi malè,ſupplicium,quia non ſperauit in

Amb. epiſt. 21. lib. 3.

uit in

uit in Deum,nec ad illam adoptionem filiorum & ad ueræ libertatem affectauit gloriæ. Et idem in plerîſque locis firmauit diuus Hieronymus, Primùm nanque perperam Apoſtoli uerba, Iuſtus ex fide uiuit, à pſeudoeuangeliſtis intelligi, manifeſtè oſtendit, inquiens: Quanto quis in Dei opere & amore profecerit, tanto magis ſpiritusſancti in ſe habere uirtutes, quas auditus fidei, & non legis opera conſummant: non quò legis opera contemnenda ſint, & abſque eis ſimplex fides appetenda: ſed quò opera ipſa fide Chriſti adornentur. Scita eſt enim uiri ſapientis illa ſententia, non fidelem uiuere ex iuſtitia, ſed iuſtum ex fide. Non dicit Hieronymus bona opera fidei demonſtrationem ſolum eſſe, ſed fide Chriſti ea adornari, indeq; meritoria effici. Hinc idem Hieronymus in Eſaiam Prophetam in prima gloſa, loquens de ciuitate glorioſa ſuperna Hieruſalem. Et Eſaiæ Prophetæ uerba, Et ponetur in ea murus, & antemurale rectæ fidei, ut duplici ſepta munimento: Non enim ſufficit murum habere fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur: non dicit ſimpliciter demonſtretur, ut pſeudoeuangeliſtæ aiunt. Et clarius idem uerba ſaluatoris, In domo patris mei manſiones multæ ſunt, explanans ait, Locus, & manſiones quas præparare ſe dicit Chriſtus Apoſtolis, in domo utique ſunt patris, id eſt, in regno cœlorum, non in terra, in qua præſens Apoſtolos relinquebat. Simulq; ſenſus ſcripturæ intelligendus: Dicerem, inquit, uobis, quia uado & pręparabo uobis locum, ſi non manſiones multæ eſſent apud patrem: hoc eſt, ſi non unuſquiſque manſionem ſibi non ex largitate Dei, ſed ex proprijs operibus præpararet: & ideo non eſt meum parare, ſed ueſtrum: quia & Iudæ nihil profuit locus paratus, quem ſuo uitio perdidit. Iuxta quem

Hierony. in epiſt. ad Galat.

Hiero. apud Eſa. cap. 26.

Hiero. lib. 2. aduerſ. Iouinia.

ſenſum,& illud intelligendum, quod ad filios dicitur Zebedei,quorum alter à ſiniſtris, alter cupiebat ſedere à dextris : Calicem quidem meum bibetis,ſedere autem à dextris ſiue à ſiniſtris,non eſt meum dare uobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo. Non eſt filij dare, & quomodo eſt patris præparare? Paratę inquit,ſunt in cœlo plurimæ & diuerſæ manſiones, plurimis diuerſiſq; uirtutibus quas non perſonæ accipiunt,ſed opera. Fruſtra ergo à me petitis,quod in uobis ſitum eſt, quod pater meus illis parauit, qui dignis uirtutibus ad tantam aſcenſuri ſunt dignitatem. Queis palam fit, diuum Hieronymum omnino præiudicare aſſerentibus bona opera ad ſalutem promereri nihil:& hoc genus hæreticos,ſola fide ſaluari aſtruentes, iterum idem Hieronymus præſcripſit, inquiens : De hæreticis facilis eſt intelligentia, quòd quanto plures fuerint,tanto magis delinquunt Deo, & gloriantur in populis : & idcirco decipiunt infelices, ut peccata populo concedant, & per dulces ſermones deuorent domus uiduarum. Quum enim uiderunt aliquos delinquentes aiunt, Nihil aliud quærit Deus,niſi fidei ueritatem, quam ſi cuſtodieritis,non curat quid agatis. Et rurſus idem Hieronymus omnem huiuſce ſcrupi nodum apertè ſoluere uidetur, ait enim; Manichæorum eſſe damnatum errorem, hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium,& adiutorium Dei tollere. Rurſumq; apertiſsimè inſaniæ hoc hominem dicere,quòd Deus eſt.Et ſic ingrediendum uia regia, ut nec ad ſiniſtram nec ad dextram declinemus. Appetitumq; uoluntatis propriæ Dei ſemper credamus auxilio gubernari. Quod clarius explicat idem Hieronymus, inquiens : Si quid in me habeo boni, illo ſcilicet Deo ſuggerente & adiuuante completur. Et iterum

Hierony.in Oſe.Prophet. cap.4.

Hierony.in proxm. dialogo. aduerſ. pelag ad ſi.

Hieron. li.1. aduer.Pela. in princip.

rum opus meum bonum eſt, eſt Dei,ut ego operer, & ille adiuuet. Et in hiſce uerbis conſtat uera reſolutio huiuſce ambiguitatis. Non minus autem ad eam rem appoſitè ac maiori autoramento hanc explicans difficultatem diuus Auguſtinus ait, diuus Petrus morum doctrinam, & iuſtè uiuendi rationem tradens, ut ex hoc attenderent fideles, qualiter eos oportet uiuere, ut cœleſti illa habitatione digni fierent,ſciens de Apoſtoli Pauli quibuſdam ſubobſcuris ſententijs nonnullos iniquos accepiſſe occaſionem, ut tanquam de ſalute ſecuri,quæ in fide eſt, benè uiuere non curarent, commemorauit quædam ad intelligendum difficilima eſſe in epiſtola eius, quæ homines eius peruerterent, ſicut & alias ſcripturas ad proprium ſuum interitum: quum tamen & ille Apoſtolus de ſalute æterna,quæ niſi benè uiuentibus non daretur,eadem ſentiret, quæ cæteri Apoſtoli: ſic itaque Petrus: His ergo (inquit) omnibus pereuntibus,quales uos oportet eſſe in ſanctis conuerſationibus, & pietatibus expectantes, & properantes ad præſentiam diei domini, per quam cœli ardentes ſoluentur, & elementa ardore ignis decoquentur. Nouos uerò cœlos, & terram nouam ſecundum promiſſa ipſius expectamus,in quibus iuſtitia habitat. Quapropter hæc expectantes ſatagite inuiolati,& immaculati apud eum reperiri in pace & domini noſtri patientia ſalutem exiſtimate, ſicut & dilectiſsimus frater Paulus ſecundum eam quæ data eſt illi ſapientiam ſcripſit uobis, & ut in omnibus epiſtolis loquens in eis, de his in quibus ſunt difficilia quædam intellectu, quæ indocti, & inſtabiles peruertunt, ſicut & cæteras ſcripturas, ad proprium ſuum interitum. Vos igitur præſcientes cauete,ne in falſorum errore ſeducti decidatis à corroboratione ueſtra. Creſcite uerò in

Aug. lib. de fide & operib. cap. 14.

gratia, & intellectu domini noſtri & ſaluatoris IESV CHRISTI ipſi gloria & nunc,& in die æternitatis. Iacobus autem uehementer infeſtus eſt eis, qui ſapiunt fidem ſine operibus ualere ad ſalutem, ut illos etiam dæmonibus comparet dicens: Tu credis, quoniam unus eſt Deus: benè facis, & dæmones credunt, & contremiſcunt. Quid uerius,breuius, uehementius dici potuit, quum in euangelio legamus,hoc dixiſſe dæmonia,quum Chriſtum filium Dei confiterentur, & ab illo corriperentur? Quod in Petri confeſsione laudatum eſt. Quid proderit (Iacobus ait) fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides eum ſaluare? Dicit etiam,quia fides ſine operibus mortua eſt. Quouſq; igitur falluntur, qui fide mortua ſibi uitam perpetuam pollicentur. Illos diuus Petrus citato loco fontes ſiccos uocat. Fontes quidem, quia baptiſma, & fidem Chriſti ſemel receperunt. Siccos uerò, quia non congruenter uiuunt, & iuſtitiæ opera non ſectantur. Eos diuus Iudas Apoſtolus in ſua canonica (ſubiungit diuus Auguſtinus) nubes ſine aqua uocat. Diuus uerò Iacobus eorum fidem mortuam eſſe dicit. Sic ille. Et rurſum idem Auguſtinus non minus attemperatè in eam ſententiam inquit, Quidam uerba Apoſtoli ad Galatas malè intelligentes, putabant nos ad nouum Teſtamentum pertinentes ancillæ filios non eſſe,ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit:& putabant hoc eſſe liberè uiuere, ut tanquam de tanta redemptione ſecuri,quicquid liberet licere ſibi arbitrarentur. Non intuentes quod dictum eſt, Vos in libertatem uocati eſtis fratres: tamen ne libertatem in occaſionem detis carnis. Sic ille. Quàm temerarium igitur,quantæ'ue inſaniæ,quæ nec fortiſsimo purgari helleboro poſsit, tot

Aug. lib. de fide & operib. cap. 24.

tot ſacrorum ac candidorum eccleſiæ luminarium approbatiſsimis ſententijs impudentes pſeudoeuangeliſtas obuiam ire uelle uel modico lumine fruentibus admodum conſpicuum eſſe puto. Verùm placet tam doctorum uirorũ opinioni glorioſiſsimi principis Caroli magni Gallorum Regis, & occidentis imperatoris religioſum ac memorabile inſtitutum adiungere. Is enim inter leges, quas pro eccleſiæ moderatione, admonendo magis quàm præcipiendo edidit, prælatos crebra ſollicitudine uerbi Dei pabulum Chriſtiano admouere gregi hortatus, inter cætera monet, articulos fidei explicite prædicent, inter quos & ſequentem interſerit. Et quomodo iterum uenturus ſit in maieſtate diuina iudicare omnes homines ſecundum merita propria. Ecce pro articulo fieri tam religioſum principem qui Chriſtianiſsimæ gloriam nomenclaturæ noſtræ attulit Reipublicę, pro fidei articulo prędicari mandaſſe Chriſtum iudicaturum unumquenq; ſecundum merita propria. Et demum ſubiungit, hęc ideo diligentius ſeſe iniungere, quia ſciret temporibus nouiſsimis pſeudodoctores eſſe uenturos, ſicut dominus in euãgelio prędixerat, & Paulus ad Timotheum teſtatur, qui contrarium aſſerere uellent, & ideo ſubiungit: Dilectiſsimi toto corde paremus nos in ſcientia ueritatis, ut poſsimus contranitentibus ueritati reſiſtere. Ecce glorioſiſsimum illum principem ſpiritu quaſi quidem prophetico hunc in ſuam Rempublicam nouiſsimis temporibus errorem obrepturum eſſe, prænouiſſe.

Carol. magn. cap. de pradica. epiſco. & presbyter. 16. lib. 1. ordinatio.

Tolluntur & quædam aliæ rationes, quibus pſeudoeuangeliſtæ probare contendunt, ſolam fidem, deiq́ gratiam ſine charitatis operibus ſalutem tribuere, nec ullo pacto fidelium opera meritoria eſſe.

Aſt

AST dicunt nunc pſeudoeuangeliſtæ, & qui cum illis ſentiunt, pro ſe diui Ioannis ſtare ſententiam, qui ait: Quia omnis qui credit, quod IESVS CHRISTVS eſt, de Deo natus eſt. Et paulò antè dixerat. Quoniam qui de Deo natus eſt, non peccat. Vnde colligitur, Si is qui credit quia IESVS CHRISTVS eſt, de Deo natus eſt: & qui de Deo natus eſt, non peccat, utique is qui credit, quod IESVS CHRISTVS eſt, non peccat. Itaque fides ſola peccati uacationem inducere uidetur, ſaluumq; hominem efficere. Ea nanque beati Ioannis uerba diuus Ambroſius explicans ait: Si habeat aliquis omnia myſteria, & omnem ſcientiam, quomodo non habeat charitatem? quum dicat Ioannes, Quia omnis qui credit quia IESVS CHRISTVS eſt, de Deo natus eſt, non peccat. Vnde colligitur: Si is qui credit, quod IESVS CHRISTVS eſt, de Deo natus eſt, & qui de Deo natus eſt, non peccat, utique is qui credit, quia IESVS CHRISTVS eſt, non peccat. Si quis autem peccat, non credit: qui autem non credit, non diligit: qui autem non diligit, peccato obnoxius eſt: Ergo non diligit qui peccat. Charitas enim multitudinem operit peccatorum. Quòd ſi charitas peccandi excludit affectum, quandoquidem etiam timorem foras excludit, plena eſt utiq; perfectæ fidei charitas. Vnde Apoſtoli, qui futuri erant amici dixerunt, Adauge nobis fidem, petentes à bono medico, ut infirmantem in ſe fidem ſanaret. Infirmabatur adhuc fides in his, quum audiret etiam Petrus, Modicæ fidei quare dubitaſti? Ergo fides uelut præuia charitatis occupat animam, & præparat ſemitas uenturæ dilectioni. Sic omnis fides eſt, ubi perfectio charitatis. Et propterea Apoſtolus dicit, quia charitas credit omnia: hoc eſt, facit fidem omnia credere,

Ambr. epiſtol. 74. & ſeq. lib. 9.

& hab

& habere huiuſmodi animam omnem fidem. Ac per hoc ubi perfecta charitas, ibi omnis fides: ſicut ubi perfecta charitas, ſpes omnis. Denique ſicut omnia credit, ita ſcriptum eſt, quia ſperat omnia. Ideo maior, quia fidem ſpemq; complectitur. Et paulò ante dixerat: Ergo perfecta charitas omnem fidem habet: non facilè tamen dixerim, quòd continuò omnis fides perfectam charitatem habeat. Quia Apoſtolus dicit, Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Etenim quum tria ſint in uno Chriſtiano fides, ſpes, & charitas maior his eſt charitas. Sic ille. Vult proinde diuus Ambroſius, diuum Ioannem loqui de plena, & perfecta fide, quæ charitatem habet coniunctam. Charitas enim, ut is ait, fidem adauget, & perfectiorem reddit. Loquitur autem de charitate operoſa, non de otioſa. Quippe ut eam Apoſtolus definit, Charitas minimè otioſa eſt, ſed ſemper in bonum prodit opus. Illa augetur, impletur, & perficitur fides, quæ tamen & citra charitatem haberi poteſt. Sed non in eodem plenitudinis, & perfectionis gradu, quum enim otioſa, mortua, & ſicca eſt, uera fides eſt, & in ſe quidem integra eſſe poteſt, ut Athanaſius ea Apoſtoli uerba, Si habuero omnem fidem, &c. explanans aſtruit: ſine tamen operoſa charitate nec plena, nec uiuida, nec perfecta, quantum ad ſalutis ſcopum, eſſe cenſetur. Nempe quum ab operoſa ſeiungitur charitate, minimè eam uirtutem habere poteſt, de qua Chriſtus in euangelio loquitur, Fides tua te ſaluum fecit. Ita ut & quantum ad eam fidei uirtutem, quæ ſaluum efficit, aſſerat Athanaſius explicans uerba Apoſtoli ad Timotheum, Et conſcientia bona & fide non ficta: eum qui charitatis ſit expers, & fide carere: id eſt, ea fidei uirtute,

Athanaſ. alias Theoph.

quæ ſaluum efficit intelligendus eſt, eoq; pacto interpretari debet. Quod idem aſtruit, dum explanat Apoſtoli
Athanaſ. aliâs Theoph. uerba ad Romanos, Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei, ubi dicit, eo loco fidem pro Dei gratia ſumendam eſſe, qua illa miracula factitarent. Duplex nanq; (ſubiungit) eſt fides noſtra, altera: ut illud, fides te ſaluum fecit: Altera Dei ex dono, qua fiunt miranda: ut illud, Si habueritis fidem ut coccũ ſinapis, dicetis mõti huic, &c. Nam intelligendus eſt duplicem ponere fidem, reſpectu uirtutis & operationis: eadem tamen re uera in ſe eſt, una uidelicet quæ operatur miracula & uirtutes ad ædificationem eccleſiaſtici corporis: id eſt, quæ habet id chariſma gratiæ gratis datum propter alios, quum Apoſtolus dicat, etiam omnem ſcientiam & prophetiam, quæ inter chariſmata ab eodem Apoſtolo numerantur, ſine charitate haberi poſſe, fidemq; informem mali, & peruerſi hominis aſſerit ibi Ambroſius has gratias ad ædificationem corporis datas habere poſſe. Sed ſine charitate fides non poteſt eam habere uirtutem, ut ſaluum efficiat credentem: unde ubi de credente diuus Ioannes loquitur, quòd ex Deo natus eſt, intelligitur de credente fide perfecta charitate operoſa informata habente eam uirtutem, ut ſaluum credentem efficiat: alioqui manifeſtè Apoſtoli inter ſe diſſentire uiderentur. Itaque opera per charitatem procedentia non ſolùm fidem demonſtrant, ut pſeudoeuangeliſtæ aiunt, ſed ipſam informant, implent, confirmant, plenam perfectamq; reddunt. Sed rurſum dicent pſeudoeuangeliſtæ, ſuperuacanea eſſe opera. nec promereri ſalutem, quum ex diuina gratia, meraq; liberalitate illa pendeant: ac bonum quod agimus, quod acceptum Deo eſt, indeq; nos æterno dignatur præmio, diuina ſolum gratia

perfici,

perfici,nec homini, niſi ut mero adminiſtro aſcribi debere, ac per eum ut muſicus per tibiam ſonum rectæ operationis ſpiritum emittere. Idq; uel facilè confici poſſe uidetur,ex uerbis Pauli, Velle quidem mihi adiacet, ſed bonum perficere non poſſum:malum autem quod nolo,hoc facio. Et rurſum idem Paulus : Id quod ſum,gratia Dei ſum.. Non enim ex nobis aliquid ſufficientes ſumus, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et complura his ſimilia uarijs in locis utriuſq; inſtrumenti offendi poſſunt. Nam ut ad has poſtremas Apoſtoli autoritates uel candidum afferamus reſponſum,ſatis nobis erit doctiſsimi ſanctiſsimiq; uiri Athanaſij in ea re citare ſententiam, Is enim Pauli ad Romanos ſcribentis uerba explanans, Non uolentis neque currentis, ſed miſerantis Dei eſt gratia, quæ in eandem cum prædeductis coëunt ſententiam, ait:Nam quemadmodum quum condenda eſt domus, in opifice pendere omnia dicimus,tametſi ille id opus per ſe exequi nequeat, ſed & materia eſt ad ſtructuram neceſſaria, & iuuantum miniſtrorum indiget opera : ſed quoniam illi abſoluenda eſt domus,fatemur illi eſſe omne id opus. Sic item dicere de Deo ſolemus, & in eius poteſtate cuncta conſiſtere,qui nihil à nobis, niſi animi exigat promptitudinem:& quoniam finem ille rebus imponit, & benè merentes coronat,damnatq; ſontes, dicimus uniuerſa in eius poteſtate conſiſtere. Sic ille. Rectiſsimè Athanaſius ſummum architecto opificem comparat. Is enim eccleſiaſtici corporis ſua prælectione & directione,continuaq; inſpiratione conſtructor eſt : in eo tamen lapidibus rectè diſpoſitis miniſtrorumq; coadiuuantium opera uti uult:propter quod Apoſtolus ait, Cooperatores ſumus eius. In eo igitur ædificio ut à ſummo architecto fidelis aliquis lapis

Ad Roman. cap. 7.

1. ad Corint. cap. 15.

Athanaſ a-liás Theoph.

apponatur,oportet eum ipſum diſpoſitum & politum eſſe, lima quidem non otioſe ſed per Charitatem operantis fidei. Itaque à gratia,& liberalitate, atque uoluntate opificis, & architecti pendet, ut ponatur lapis in ædificio : ſed & ut ponatur, lapidis concurrere diſpoſitionem oportet. Totum idcirco tribuitur opifici, & architecto ueluti perficienti,& conſummanti. Sed propterea haud arbitrabimur, nihil tribui ſeſe diſponenti, ut in eo ædificio congruè apponi poſsit quinimo illi tribuendum eſt, quòd ſe promerendo diſpoſuerit diuino illi cooperante auxilio,ſine quo nihil rectè peragitur. Et ſpeciatim, quinimo & indiuiduatim deſipere pſeudoeuangeliſtas, dum aſtruere moliuntur, hominem ex ſe operari nihil, ſed per eum uelut inſtrumentum Deum omnia facere, non ſecus ac muſicus ſonum per tibiam emittit. Declarant diuus Ioannes

Chryſoſt. & Theophil. Chryſoſtomus, & Theophilactus, Chriſti uerba apud Ioannem, Quando miſi uos ſine ſaculo & pera : explanantes, aiunt enim : Nam ne exiſtiment poſteriores,quòd Apoſtoli à ſe nihil ad uirtutem contulerint, ſed totum Dei fuerit. Non hoc erit (inquit CHRISTVS) ſic,neq; enim Apoſtolos meos uti uolo, ut inſtrumentis inanimatis. Denique ſubiungit : Inuenies Apoſtolos, & maximè Paulum, multa etiam ex humanis induſtrijs rectè facere, & lege acta,quamuis & in his non abfuerit diuinum ſubſidium.Sic illi,Pijſsimi proinde ſaluatoris uerba prout explanant citati doctores,eorum præiudicant ſententiæ, qui Deum per hominem non ſecus ac muſicus per inſtrumentum inanimatum operari aiunt : quibus planè etiam aduerſantur,quæcunque adduximus capite præcedenti.

LIB

LIBELLVS QVINTVS.

Ex noui inſtrumenti canonibus complura adducuntur teſtimonia, quibus pro pſeudoeuangeliſtarum parte probari poſſe uidetur, eccleſiæ mobiles præceptiones ſeruiles, uel ſeruilibus ſublatis perquam ſimiles eſſe.

PORRO neque ad calculum uſq; hanc eccleſiaſticarum approbationem præceptionum deduxiſſe uideri poterimus, niſi & prius quaſdam pſeudoeuangeliſtarum obiectiones diluamus. Aſtruere nempe contendunt, eccleſiæ mandata, quæ ieiunia, à quibuſdam abſtinentiam cibis, feſtorumq; cultum præcipiunt, haud abſimilia cenſeri ſeruilibus priſcæ legis præceptis, quæ in nouo libertatis Teſtamento minimè repetenda eſſe cenſuit Apoſtolus. Ait enim quæ non poſſunt iuxta conſcientiam *Ad Hebræ.* perfectum facere ſeruientem ſolum modo in cibis, & in *cap.9.* potibus (id eſt, in abſtinentia à quibuſdam cibis, & à potu, ut explicat Athanaſius) & in uarijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis, integra quadrageſima, omnibus abſtinere lacticinijs, & dominicis exemptis diebus continuò ieiunare, alio uerò tempore quibuſdam feſtorum uigilijs, perquàm ſimile uideri poſſet legi carnali, quæ non iuſtificabat ſeruientem in cibis, & potibus: ſed & obſeruatio ipſa dierum, ieiuniorum, & feſtorum priſcæ ſeruilis legis memoriam referre uidetur. Propter quod Apoſtolus Galatas reprehendit dicens, *Ad Galat.* Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Et ad *cap.4.* *Ad Coloſſ.* Coloſſenſes: Nemo uos iudicet in cibo, aut in potu, aut *cap.2.*

in parte diei feſti, aut neomeniæ. Et magis ad rem ipſam appoſitè ait, Si mortui eſtis cum CHRISTO ab elementis mundi, quid adhuc tanquam uiuentes in mundo decernitis? ne tetigeris, neque guſtaueris, neque contractaueris quæ ſunt omnia in interitu ipſo uſu ſecundum præcepta, & doctrinas hominum, quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Quibus uerbis planè Apoſtolus abſtinentiæ à lacticinijs quadrageſimali tempore, uel à carnibus ſexta & ſeptima ferijs mandata uelut perquam ſimilia elementarijs priſci inſtrumenti carnalibus legibus, improbare uidetur, præcepta & doctrinas hominum eſſe aſſerens, quæ habeant apparentem ſapientiæ rationem in ſuperſtitione & quadam humilitate, & non ad parcendum corpori, quod plerunque hiſce plus æquo affligitur: non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis, id eſt, ad carnis educationem. Et rurſum idem Timotheum monet, Exerce te autem ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum ualet. Corporalem exercitationem uocans, ieiunijs, & abſtinentijs ſe affligere, quam ad modicum prodeſſe arbitratur. Et rurſum idem Apoſtolus has abſtinentiæ & ieiunij præceptiones improbare uidetur, dum ad Romanos ait, Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet, Deus enim illum aſſumpſit: & quæ ſequuntur. Et paulò pòſt: Non eſt enim regnum Dei eſca, nec potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto: qui in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus. Quibus Apoſtolus aſſerere uidetur eum minimè placere Deo, qui in potus, & eſcæ abſtinentia Chriſto ſeruit. Et iterum idem ad Cor

Ad Coloſſ. cap. 2.

1. ad Timot. cap. 4.

Ad Roman. cap. 14.

ad Corinthios: Eſca autem nos non commendat Deo. Et rurſum ad eoſdem: Omne quod in macello uenit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Item, Omne quod uobis apponitur, manducate nihil interrogantes propter conſcientiam. Et paulò pòſt ſubiungit attemperatè: Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? ſi ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo, quòd gratias ago? Tametſi uerò dici poſſet, uario modo, alijſq; diebus, quàm in lege ſeruili abſtinentiam, & feſtorum cultum in gratiæ lege & libertatis Teſtamento indici, non ob id magis approbari poſſunt. Quandoquidem & ſi non eædem præceptiones ſint, tamen effectu prioribus perquam ſimiles uidentur, & propterea non ſunt iterum repetendæ. Non enim accepimus iterum (ait Apoſtolus) ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum. Et rurſum idem ad Galatas: State, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Sed quid glorioſo, & precioſo, redemptionis beneficio ab hiſce ſeruilibus legibus, earumq; maledicto erepti ſumus? Sed per harum præceptionum futuræ gehennæ pœnam comminantium denſationem, & cumulationem liberati à compedibus rurſum in grauiora conijcimur uincula, ac filij & liberi ſeruorum iugo colla iterum ſupponimus. Vnde & Apoſtolus ad Timotheum ſcribens, nouiſsimis temporibus ſpiritu erroris, & doctrina dæmoniorum cauteriatam habentium ſuam conſcientiam prænunciat, quoſdam prohibituros nubere, ſicut eccleſiæ adminiſtris indictus fuit cœlibatus: præcepturos item abſtinere à cibis quos Deus creauit, ad percipiédum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem. Hæc ſunt noſtræ tempeſtatis plúſquam inſanorum hæreſiarcharum delyr

1. ad Corint. cap. 8.

1. ad Corint. cap. 10.

Ad Roman. cap. 8.

Ad Galat. cap. 5.

1. ad Timot. cap. 4.

delyria,qui uidentes,& audientes non intelligunt.

Eccleſiaſtica mandata minimè ſeruilia, uel ſeruilibus ſimilia eſſe: & quid priſci inſtrumenti ſeruitus fuerit, & noui Teſtamenti libertas ſit, quàm luculentiſſimè declaratur: atque ſublatæ priſcæ legis ſeruitutem ſeueritate externi uinculi & corporis ſine miſeratione infligendæ pœnæ conſtitiſſe, quæ noua libertatis lex ſuſtulit, minimè tamen ſpiritali & internæ pœnæ eccleſiaſticis inhærenti uel ſubſcriptæ præceptis aduerſatur.

ATqui ut nodum hunc Gordiano longè abſimilem uel facilè ſine inciſione ſoluamus,quid priſci inſtrumenti ſeruitus fuerit, & noui Teſtamenti libertas, prius intelligere oportet. Doctiſsimus & antiquiſsimus Irenęus admodum coſpicuè utriuſque legis conditionem, quale inter eas ſit diſcrimen, & in quo proſtat, poſteritati ſcriptum reliquit. Prioris itaque ſeruilis legis ſcriptæ conditionem antè explicare conuenit: è Pharaonis ſeruitute per Moſem adminiſtrum Iſraëliticum populum Deus eduxerat. At ut diuus Irenæus inquit,ubi conuerſi ſunt in uituli factionem,& reuerſi ſunt animis ſuis in Aegyptum,ſerui pro liberis concupiſcentes eſſe, aptam conſcientiæ ſuæ acceperunt reliquam ſeruitutem à Deo quidem nō abſcedentem,in ſeruitutis autem iugo dominantem eis: quemadmodum & Ezechiel Propheta cauſas talis legis datæ reddens ait: Et paulò pòſt concupiſcentiam cordis ſui erant oculi eorum: & ego dedi eis præcepta non bona, & iuſtificationes,in quibus non uiuent in eis. Et paulò infra:Deus (inquit) tale aliquid uoluit fieri pro utilitate populi, illiciens eos per prædictas obſeruationes, ut per eas ſaltem decalogi obſeruantes ſint, & detenti ab eo non reuert

Iren. in lib. aduerſ.omn. hæreſ.

Iren. lib. 3. cap. 29. aduerſ.om. hæreſ.

Ezec. ca. 20.

reuerterentur ad idololatriam, neque apoſtatæ fierent à Deo, ſed toto corde diſcerent diligere Deum. Sic ille. Et rurſus idem Irenæus ait: Lex ſeruis poſita per ea quæ foris erant corporalia, animam erudiebat uelut per uinculum attrahens eam ad obedientiam præceptorum, ut diſceret homo ſeruire Deo. Verùm autem liberans animam, & per ipſam corpus uoluntariè mundari docuit. Quo facto neceſſe quidem fuit auferre uincula ſeruitutis quibus iam homo aſſueuerat, & ſine uinculis ſequi Deum ſuperextendi uerò decreta libertatis, & augeri ſubiectionem quæ eſt ad regem, ut non retrorſus quis reuertens, indignus appareat ei qui ſe liberauit. Eam uerò pietatem, & obedientiam quæ apud patrem familias eſt, eſſe quidem eandem & ſeruis & liberis, maiorem autem fiduciam habere liberos, quoniam ſit maior & glorioſior operatio libertatis, quàm ea quæ eſt in ſeruitute obſequentia. Et propter hoc dominus pro eo quod eſt, Non mœchaberis, nec concupiſces præcepit: & non tantum amicos, ſed inimicos diligere, &c. Et ſequitur paulò infra: Hæc autem, quemadmodum prædiximus, non erant diſſoluentis legem, ſed adimplentis legem, & extendentis in nobis, tanquam ſi aliquis dicat maiorem libertatis operationem pleniorem erga liberatorem noſtrum infixam nobis ſubiectionem & affectionem, non enim propter hoc liberauit nos, ut ab eo abſcedamus. Non enim poteſt quiſquam extra dominica conſtitutus bona ſibimetipſi acquirere ſalutis alimenta: ſed ut plus gratiam eius adepti, plus eum diligamus. Quanto autem plus eum dilexerimus, hoc maiorem ab eo gloriam accipiemus. Quum ſumus ſemper in conſpectu patris. Quia igitur naturalia præcepta omnia communia ſunt nobis & illis, in illis quidem initium &

Iren. lib. contra omn. hæreſ. cap. 27.

ortum habuerunt, in nobis autem augmentum, & impletionem perceperunt. Et idem autor recenſet & in eo quod dicit quoniam ſeruus neſcit quid faciat dominus eius. Ignorantiam ſeruilis populi manifeſtat per ſuum aduentum. In eo autem quòd amicos Dei dicit ſuos diſcipulos, apertè ſe oſtendit eſſe uerbum Dei, quem & Abraham, & ſine uinculis propter generoſitatem fidei ſequens, amicus factus eſt Deo. Seruilis idcirco lex externis uinculis quæ paulò infra declarabimus prolapſos in idololatriam ceu ſeruos in Dei obſequium trahebat. Verùm hæc externa & ſeruilia uincula, carnalia quoque & in figuram data libertatis Teſtamentum circumſcripſit, & idem Irenæus luculentius declarat inquiens: Hæc ergo quæ in ſeruitutem & in ſignum data ſunt illis circumſcripſit nouo libertatis Teſtamento. Quæ autem naturalia, & liberalia, & communia omnium, auxit & dilatauit, ſine inuidia largiter donans hominibus per adoptionem patrem ſcire Deum, & diligere eum ex toto corde, & ſine aduerſatione ſequi eius uerbum: non tantum abſtinentes à malis operationibus, ſed etiam à concupiſcentijs eorum. Auxit autem etiam timorem: filios enim plus timere oportet, quàm ſeruos, & maiorem dilectionem habere in patrem. Et propter hoc ait dominus: Omnem ſermonem quem locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die iudicij. Et qui uiderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Et qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio. Vt ſciamus, quoniam non ſolum factorum reddemus rationem Deo ut ſerui, ſed etiam & cogitationum tanquam qui & libertatem acceperimus poteſtatem, in qua magis probatur homo, ſi reuereatur, & timeat, & diligat dominum. Et propter hoc Petrus ait,

Idem Iren. in fi. præfat. cap.

Iren. li. 4. cõtra omn. hæreſ. cap. 31.

non

non uelamentum malitiæ habere, nos libertatem, ſed manifeſtationem, & approbationem. Perbelle doctiſsimus, & Apoſtolis proximus diuus Irenæus & prioris antiquæ legis ſeruilem conditionem & noui inſtrumenti libertatem præcitatis declarat, antiquæ legis ſeruitutem externis uinculis Iudæorum populum ut eum ab idololatria reuocaret, in Dei obſequium adigere, aſtruens. Libertatis uerò legem hæc externa ſeruilia uincula, & carnalia in figuram data abſtuliſſe. Liberalia tamen & omnibus communia adauxiſſe præcepta, filiosq; quos Chriſti fides per adoptionem efficit, non minorem, ſed maiorem erga patrem liberatorem & obedientiam, ſubiectionem, & timorem habere debere. Et in eandem conſpirando ſententiam Damaſcenus ait, præcepta illa carnalia Iudæis per Moſem data fuiſſe, quia non affectu dominatori ut patri ſeruiebant, ut ſerui ingrati ſeruitutem Deo impartirent: & hoc (ſubiungit) timore pœnarum & increpationum, quæ erant in tranſgreſsione. Maledictus ſiquidem & in hoc ſeculo erat, qui non permanſiſſet in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faceret ea. Et hoc increpationis genus, pœna denique temporalis mortis non obſeruanti imminebat, quæ mox à ſummo intelligebatur ſacerdote, de qua Apoſtolus ad Hebræos, Irritam quis faciens legem Moyſi ſine ulla miſeratione duobus uel tribus teſtibus moritur. Ea proinde externa, præciſa, & carnalia uincula ceu ſeruis impoſita, legem ſeruilem efficiebant. At gratiæ lex nouiq; Teſtamenti libertas & carnalia, & ſeruilia ſuſtulit uincula. Nempe quum lex fidei, & ſpiritus ſubintrauit, lex carnalis abolita eſt, & conſectaneè carnalia uincula carnali legi conuenientia tolluntur. In gratiæ uerò lege Chriſtianos, ceu adoptionis filios, conſecutæ li-

Damaſc. lib. 4. cap. 24.

Deut. ca. 27.
Ad Galat. cap. 4.

Deut. ca. 17.

Ad Hebræ. cap. 10.

bertatis crebra recordatio uel ſatis in Chriſti ſeruitutem (cui ab eo precioſo redempti ſanguine addicti ſunt, illiq; non minorem, ſed potius maiorem ſubiectionem, obedientiam, ac timorem habere obnoxij) adigere debet. His non carnalia, nec externa, nec pręciſa, uelut nec legi ſpiritus, nec adoptionis filijs, & libertate donatis, conſentanea uincula proponuntur, ſed ſpiritualia, quæ ueram libertatem minimè tollunt, in habentibus quidem (proprię enim hi uoluntatis arbitrio, non timoris uinculo ducuntur) in deſciſcentibus uerò à Chriſtiana libertate eamipſam uel facilè, ſi uoluerint, reſtaurant, & redintegrant. Nec tamen pręciſa ſunt: quia non ſine miſeratione in pœnam trahunt, ſed ſemper locus ueniæ, locus gratiæ, locus miſericordiæ. Vnde & in priori lege maledicti ac corporalis pœnæ ſeruilia uincula non ſolùm præceptis carnalibus pòſt lapſum in idololatriam datis, uerùm etiam & præceptis decalogi, quibus antea minimè ſubſcripta fuerant, ſuperaddita fuere, ſi Origeni credamus. Sed noui Teſtamenti libertas hæc carnalia uincula, & quantum ad decalogi præcepta, ſicut & in cæteris circumſcripſit, ut filij per adoptionem effecti, tanquam liberi, & non tanquam ſerui ſpiritus libertate abſque externa carnali, ſeruili, & præciſa coactione mãdata hæc adimplere debeant, ut planè explicat diuus Irenæus, inquiens: Ecquid mihi dicitis, Domine, domine, & non facitis quæ dico? Et iterum: Si autem ſeruus dicat in corde ſuo, tardat dominus meus, & incipiat cædere conſeruos ſuos, & manducare, & bibere, & inebriari, ueniet dominus eius in die qua non ſperat, & diuidet eum, & partem eius ponet cum hypocritis. Et omnia talia, quæ liberum & ſuæ poteſtatis hominem oſtendunt, & quo conſilio inſtruat Deus adhortans

Orige. ſuper Leuit. homi. 11. cap. 20.

Iren. lib. 4. aduerſ. omn. hæreſ. ca. 72.

tans

tans nos ad ſubiectionem ſibi, & auertens ab incredulitate, non tamen de uiolentia cogens. Etenim ipſum euangelium ſi noluerit quis ſequi, licet quidem ei, non tamen expedit. Inobedientia enim Dei,& amiſsio boni, eſt quidem in hominis poteſtate : læſionem autem non quamlibet & damnum infert. Et propter hoc Paulus, Omnia licent,ſed non omnia expediunt, & libertatem inferens hominis. Quapropter omnia licent,non cogente eum Deo. Et non expedit,oſtendens,ut non ad uelamen malitiæ abutamur libertate, non enim hoc expedit. Et iterum ait, Loquimini ueritatem unuſquiſque cum proximo ſuo, & omnis ſermo malus de ore ueſtro non exeat, aut turpitudo,aut uaniloquium,aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent:ſed magis gratiarum actio.&,Eratis enim aliquando tenebrę, nunc autem lumen in domino:quaſi filij lucis honeſtè ambulate, nõ in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & libidinibus,non in ira & zelo. Et hæc quidem fuiſtis,ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine domini noſtri. Si igitur non in nobis eſſet facere hæc,aut non facere, quam cauſam habebat Apoſtolus, & multo prius ipſe dominus, conſilium dare, quædam quidem facere,à quibuſdam uerò abſtinere? Sed quoniam liberę ſententiæ ab initio eſt homo, & liberę ſententiæ eſt Deus,cuius ad ſimilitudinem factus eſt, ſemper conſilium datur ei continere bonum quod perficitur ex ea quæ eſt à Deo obedientia, & non tantum in operibus, ſed etiam in fide liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium hominis ſeruauit dominus dicens, Secundum fidèm tuam fiat tibi: propriam fidem hominis oſtendens, quoniam ſuam propriam habet ſententiam. Et iterum omnia poſsibilia ſunt credenti.&, Vade,ſicut credidiſti fiat tibi. Et omnia talia

ſuæ poteſtatis ſecundum fidem oſtendunt hominem. Et propter hoc is qui credit ei habet uitam æternam: qui autem non credit filio, non habet uitam æternam, ſed ira Dei manebit ſuper eum. Secundum igitur hanc rationem & ſuum proprium bonum Deus oſtendens, & ſui arbitrij, ac ſuæ potentiæ hominem ſignificans, dicebat ad Hieruſalem, Quoties congregare uolui filios tuos quemadmodum gallina pullos ſuos ſub aſſellis, & noluiſti. Quapropter relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. Sic ille. Admodum conſpicuè idcirco diuus Irenęus aſſerit Chriſtianæ legis libertatem & circa moralium præceptorum decalogi obſeruationem uerſari, & circa fidem ipſam: & in his hominem ſpiritus libertate non præciſe externo coactionis ſeruili & carnali uinculo adduci, & conſectaneè ea ſeruilia uincula præceptis decalogi quum lex ſeruilis datur ſuperaddita, antea uerò quum ſcripta Dei digito duabus tabulis Moſi populo exhibenda traduntur minimè ſubſcripta per noui inſtrumenti libertatem ſublata fuiſſe. Nempe illa fidei generoſitatem & adoptionis ſpiritum in mandatorum obſeruatione expoſcit, non ea pręciſa externa carnalia ſicq; ſeruilia uincula, nihilo tamē ſecius tranſgreſſorem ex inobedientia ſpiritalis pœna mortis manet, illiq; ſubinde conditionata adimplendi mandata neceſsitas propoſita eſt, ſi ad uitam ingredi uelit, & mortis euadere gehennam. Hincq; uel manifeſtò confici poteſt, ſpiritus adoptionis generoſitatem, & gratiæ legis libertatem minimè aduerſari ei ui obligatiuæ, quæ præceptis ineſt, contra tranſgreſſores ad ſpiritalem æternæ mortis pœnam, neque conditionatam refugere neceſsitatem, licet præciſam haudquaquam admittat. Nam in præce-
Matt. ca.19. ptis Chriſtus ait, Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata.

Propo

Proponitur igitur ad obſeruationem conditionata neceſſitas, & tranſgreſſori æternæ mortis ſupplicium, Chriſtus in euangelio comminatur, Qui bona egerint præcedent in reſurrectionem uitæ:qui uerò mala egerint in reſurrectionem iudicij. Denique & in fide ipſa,circa quam ut diuus Irenæus declarat, ſpiritus libertas expoſcitur, adeſt conditionata neceſsitas,& non habenti æternæ mortis ſubſcripta pœna. Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluabitur:qui uerò non crediderit,condemnabitur. Et Apoſtolus,Oportet autem accedentem credere. Ecce uerbum neceſsitatis, ſed non præciſe, conditionatæ ſolùm. Eam ob rem in propatulo erit,uim obligatiuam ad mortale,& conditionatam neceſsitatem minimè libertati nouæ legis aduerſari, ſed cum illa admodum conuenire. Vis igitur obligatiua ad mortem,quæ in tranſgreſſores eccleſiaſticis ineſt præceptionibus, minimè noui Teſtamenti libertati contraria cenſetur, nec pœnæ illi ſubſcriptæ expreſsio, & comminatio. Nempe quum inde nec præciſum externum carnale & ſeruile infligendæ ſine miſeratione corporalis pœnæ uinculum proferatur. Sed tranſgreſſori ſpiritalis mortis ex inobedientia periculum denunciatur. Nec inde præciſa externa & carnali neceſsitate ad obſeruationem cogitur. Ineſt tamen conditionata,& ſpiritalis, quæ liberorum & filiorum eſt,quam etiam nouæ legis libertas minimè refugit: ut ſi mortem fidelis euitare uelit,propoſita eccleſiaſtica mandata obſeruare debeat. Manet autem ſemper miſericordiæ & gratiæ, quandiu in uia eſt, ſpes: ſicq; ea uincula minimè præciſa,ſeruilia, & carnalia cenſeri poſſunt. Idem quoque cenſendum eſt de pœna anathematis,ſeiunctionis uidelicet à fidelium communione. Illa enim nec carnalis eſt,nec præciſa,quia imponitur

Ioann. cap.5.

donec

donec redierit, & ut per erubeſcentiam citius reuertatur. Nec ſine miſeratione punit: quum ueniæ & miſericordię ſemper locus relinquatur. Eſt autem conditionata ſi in culpa anathematis mucrone percuſſus perſeueret. Conſequens proinde erit, ex genere pœnæ, uel uinculi, eccleſiaſticas præceptiones, nec ſeruiles, nec ſeruilibus ſimiles eſſe: nec conſectaneè nouæ legis obſiſtere libertati, quæ in hoc potiſsimum conſtare uidetur, ut homo Chriſtianus à ſeruili, carnali, externa, & præciſa ſine miſeratione coactione per gratiam CHRISTI IESV liberatus, poſsit mandata obſeruando, diuina illi cooperante gratia, uitam promereri: uel illa tranſgrediendo, in mortis ſe præcipitare barathrum. Quod perbellè explicat diuus Irenæus inquiens: Ille enim miſit, qui uocarent ad nuptias: qui autem non obedierint ei, ſemetipſos priuauerunt à regia cœna. Non igitur ars deficit Dei, potens eſt enim de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Sed ille qui non conſequitur eam, ſibimet ſuæ imperfectionis eſt cauſa. Nec enim lumen deficit propter eos qui ſemetipſos excæcauerunt: ſed illo perſeuerante quale eſt, excæcati per ſuam culpam in caligine conſtituuntur. Neq; lumen cum magna neceſsitate ſubijciet ſibi quiſquam, neque Deus coget eum, qui nolit continere eius artem. Qui igitur abſtiterunt à paterno lumine, & tranſgreſsi ſunt legem libertatis, per ſuam abſtiterunt culpam, liberi arbitrij & ſuæ poteſtatis facti. Deus autem omnia præſciens, utriſque aptas præparauit habitationes: eis quidem qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, & ad id recurrunt, benignè donans hoc, quod concupiſcunt lumen. Alijs uerò id contemnentibus, & auertentibus ſe ab eo, & id fugientibus, & quaſi ſemetipſos excæcantibus congruentes lumini aduerſantibus pręparauit

Iren. lib. 4. aduerſ. omn. hæreſ. ca. 75.

tenebr

tenebras, & his qui fugiunt ei eſſe ſubiecti, conuenientem ſubdidit pœnam. Subiectio enim Dei requietio eſt æterna, ut hi qui fugiunt lumen, dignum fugæ ſuæ habeant locum: & qui fugiunt requiem æternam, congruentem fugæ ſuæ habeant habitationem. Quum autē apud Deum omnia ſint bona, qui ex ſua ſententia fugiunt Deum, ſemetipſos ab omnibus fraudant bonis. Fraudati autem omnibus erga Deum bonis, conſequenter in Dei iudicium iuſtum incident. Qui enim fugiunt requiem, iuſtè in pœna conuerſabuntur: & qui fugerunt lumen, iuſtè inhabitent tenebras. Quemadmodum autem in hoc temporali lumine qui fugiunt illud, ipſi ſe tenebris mancipant, ita ut ipſi ſibi cauſa fiant, quòd deſtituuntur lumine, & inhabitant tenebras, & non lumen. Cauſa eſt eis huiuſmodi conuerſationis, quemadmodum prædiximus. Sic æternum Dei qui fugiunt lumen, quod continet in ſe omnia bona, ipſi ſibi cauſa fiunt, ut æternas inhabitent tenebras, deſtituti omnibus bonis, ſibimetipſis cauſas huiuſmodi habitationis facti. Sic ille. Hiſce planè diuus Irenæus cuique approbat noui inſtrumenti libertatem, præciſam externi ſeruilis uinculi neceſsitatem extrudere, proprijq́; ſpiritus libertati quum mandatorum obſeruationem, tum & rectam reliquiſſe operationem, ut homo ſui liberi arbitrij per CHRISTI legem factus, ſibi cauſa fiat, quòd lumen habeat, concurrente & cooperante diuino auxilio. Ita intelligendus eſt diuus Irenæus, uel quòd lumine deſtituatur, & inhabitet tenebras. Quod planè etiam eorum aduerſatur ſententiæ, qui & arbitrij libertatem ad meritum conferre arbitrantur nihil: imò & merita ipſa extrudunt, ſola fide hominem ſaluari aſtruentes. Sed hinc nec tranſgreſſori, ſi haud redeat, ſpiritalis pœna gehennæ

tollitur: nec conſectaneè conditionata minimè gratiæ libertatem lædens neceſsitas extruditur.

Eccleſiæ præceptiones, quemadmodum ex genere pœnæ uel uinculi haudquaquam ſeruiles, uel ſeruilibus ſimiles eſſe cenſeri poſſunt: ſic nec ex illarum fine & ſcopo: & qualis finis & ſcopus ſeruilis legis fuerit, qualis etiam Chriſtianæ legis ac eccleſiæ præceptorum ſit, quàm euidentiſsimè declaratur.

POrrò cùm nec ex pœnæ uel uinculi genere, tum nec ex generali uel ſpeciali ſcopo, uel fine eccleſiæ præceptiones ſeruiles, & carnales, uel carnalibus, & ſeruilibus ſimiles cenſeri poſſunt. Quippe omnium carnalium & ſeruilium præceptionum quæ in idololatriam prolapſo populo latæ ſunt, is præcipuus generalisq; ſcopus & finis fuit, eumipſum ab idololatria reuocare, ac in debitæ iugo ſeruitutis retinere. Specialis autem pro uel maiori parte in gratiæ lege futura quædam præſignare & præfigurare. Propter quod Apoſtolus legem antiquam carnalium umbram futurorum fuiſſe aſſerit. Prohibuit nempe lex, ne caro cum ſanguine comederetur: non quia hoc, quantum ad rei naturam, malum eſſet: ſed quòd malum erat, quod in iſto ſignificari debuerat, quaſi enim caro cum ſanguine editur, quando quis in opere furoris, & crudelitatis delectatur. Mandatur à carne porcina abſtineri, ut immundiciæ opera deuitanda deſignentur. Et ad hunc quoque modum aliorum animalium, tam uolucrũ quàm piſcium, & eorum quæ in terra uerſatur, quædam ab humano eſu excepit. Et pleraque quæ prima conditio noxia non fecerat, ſecunda inſtitutio quaſi noxia uitare mandauit: ut admodùm eleganter proſequitur Hugo à ſancto Victore, ſubiun

ſubiungens: Hic uerò diſcutiendum eſt, quod Paulus Apoſtolus ad Hebræos inquit, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei. In elementis ſiquidem ſonus eſt, ſed ſenſus non eſt: dictiones exordia ſenſuum ſunt, quæ inde dictiones dicuntur, quaſi aliquid in elementis. Idcirco ſonus eſt, & ſenſus non eſt: in exordio ſenſus eſt, ſed completus non eſt: in ſermone ſenſus eſt, & perfectus. Hæccine tria in hiſce antiquæ legis præceptionibus mobilibus offendere licet. Carnem cum ſanguine non comedatis: hoc eſt elementum. Non occides: hoc eſt exordium. Poſtea compleuit in lege gratiæ iram prohibens, hoc eſt ſermo. Sicq; præcepta ad tempus ſuperaddita, elementa fuerunt: præcepta decalogi, exordia: noui uerò Teſtamenti inſtituta, ſermo. Prima ex inſtitutione diſciplinæ, ſecunda ex ueritate naturæ, tertia ex perfectione gratiæ. Præcepta naturalia ſunt priora ſed immobilia ſignificatione præcedunt: quia in eis primùm bonitas formatur, quæ poſtea in illis inchoatur, & nouiſsimè per gratiam confirmatur. Sic ille. Illa proinde ueteris legis eorum quæ in gratiæ lege fienda erant figuratiua quæ etiam carnis iuſtitiam (ut Apoſtoli uerbis utar) id eſt, externam abſterſionem, & emundationem intranei hominis in gratiæ lege repurgamenti umbram & figuram contingebant, adueniente ueritate ceſſarunt. Et de illis pulchrè inquit diuus Hieronymus, Peccaremus & ſcelus committeremus, ſi ad obſeruationem ſabbati, circunciſionis iniuriam, cerimonias legis abolitæ cum parente noſtro ingrederemur, quibus dicit Apoſtolus, Ecce ego Paulus dico uobis, quia ſi circuncidamini Chriſtus nihil prodeſt uobis. Et iterum: Qui in lege iuſtificantur à gratia exciderunt. Et ſubiungit, Qui ita ingreditur eccleſiam, ut legem ſeruet cum euangelio, iſte cum

Hugo de ſancto Victore lib. de ſacramen.

Ad Hebræ. cap. 5.

Hierony. in Amos Prophe. ca. 2 ſuper uer. hæc dicit dominus.

patre ingreditur ad puellam, & committit ſtuprum, & uiolat nomen domini. Quantum uerò ad reliqua præcepta attinet, quæ ad rectam conuerſationem, & iuſtitiæ exercitamenta pertinebant, uel ad maiorem diuini cultus reuerentiam, ea ipſa minimè gratiæ lege extruſa, ſed integro adhuc ſibi conſtare uigore planè idem Hieronymus affirmat, inquiens: Et lex patribus data iuſta, & ſancta, & ueniente euangelij perfectione uiliora ceſſarunt. Et paulò infra: Mandata obſeruare debemus, quæ ad uitam & mores pertinent corrigendos, de quibus dictum eſt, Mandatum domini lucidum, illuminans oculos. Quæ autem ad cerimonalia legis, & ritus ſacrificiorum pertinent, relinquenda ſunt. Sic ille. In eandem quoque ſententiam non mediocris autoritatis doctor Hugo à ſancto Victore conſpirat planè, aſſerens iuſta ratione in lege gratiæ ex præceptis illis mobilibus antiquæ legis pro iuſtitiæ, & uirtutis exercitatione ſuperadditis quædam retenta fuiſſe. Sicut (inquit) eſt obſeruantia ieiuniorum, & alia quædam, quæ quum ſuperioribus temporibus fuerint inſtituta, proinde tamen ad præſentium inſtitutionem ſunt reſeruata & ea potiſsimum (ſubiungit) quæ ad ſpiritalis ſtudij exercitationem ſpectant, tempore gratiæ reſeruantur, his quæ ad obſeruantias carnales pertinebant, abolitis. Sic ille. Eam ob rem eccleſiæ præceptiones, quæ abſtinentias ieiuniaq́; indicunt, feſtorum cultum iubent, inſtituta uenerari ſacrificia mandant, ex ſcopo, & fine è numero præceptorum carnalium, & ſeruilium legis gratiæ libertate extruſorum minimè cenſeri poſſunt. Nempe primum quantum ad abſtinentiam, ieiuniaq́; attinet, nec pro generali fine hæc impoſita fuere, ut populum ab idololatria reuocarent: nec ſpeciali ſcopo, ut futurum aliquid in gratiæ lege figurarent.

Hieron. li. 2. aduer. Pela. ad princip.

Hugo à ſancto Victo. in lib. de ſacramẽ. parte 12. ca. pen. ad fi.

rent. Sed ad uirtutis exercitamentum, carnis humiliationem, & mentis eleuationem: cuius rei, uel fortiſsimum argumentum eſt, & in innocentiæ ſtatu omnium parenti Adæ abſtinentiæ præceptum datum fuiſſe. Itaque abſtinentiæ mandatum & ſummæ tempore libertatis in Paradiſo terreſtri initiatur, ſi Hieronymo credamus. Deniq; Moſes, Helias Thesbites, Daniel, alij item ſancti uiri carnalis, & ſeruilis legis præceptis haudquaquam obnoxij erant, ita ut ſabbatum plerunque ſoluerent, ut plenè Damaſcenus affirmat. Et tamen abſtinentiæ ieiunijq; legem admodum ſollicite obſeruauerunt. Nempe Moſes Dei adminiſter ſabbati legem ſoluens, ſeipſum ieiunio ſabbatis affligebat. Helias quoque Thesbites dierum quadraginta uiam uno ſumpto cibo confecit, ſabbati inde legem abſtinentia ſoluens, ut ampliore proſequitur ſermone Damaſcenus. Et in eandem coit ſententiam diuus Hieronymus abſtinentiæ legem, & in innocentiæ ſtatu naturæ quoque lege, ac legis ſcriptæ tempore, in ſanctis uiris qui carnalibus, & ſeruilibus præceptis minimè ligabantur diligentiſſimè obſeruatam fuiſſe recenſens. Hæc profectò, abſtinentiæ, ieiuniorumq; mandata, haudquaquam ſeruilia uel ſeruilibus ſimilia fuiſſe approbant. Præterea ieiunij, & abſtinentiæ afflictione iratum Deum internecionem comminantem placatum benedictionemq; dediſſe ſacer textus commemorat. Cuius rei multa ueteris exempla Teſtamenti quidam, qui nouiſsimè ſcripſere, adduxerint: omnia tamen admodum compendioſo ſermone diuus Athanaſius complexus eſt, inquiens: Ieiunijs ſeſe Moſes beatiſsimus præparans affatibus Dei dignus ingeſsit: his prædictas per Ionam Niniuitæ minas in placidam rurſus flexere ſententiam: his Getuliæ populus Aſſyria obſidione

Hiero. lib. 2. aduerſ. Iouinia.

Damaſce. libro 4.

Exod. ca. 24.

Hieron. li. 2. aduer. Pela.

Athanaſ. in exhortat. ad Monachos.

concluſus, & uſq; ad deditionem ſui experta plurima uirtute conterritus, ab Holophernis tumentibus minis conſtantis manu fœminæ meruit uindicari: his Mardocheus Aman crudelem ſuperbia præparato ſibimet ligno acceptæ pœnæ conuerſione ſuſpendit. Nemo igitur in ueteri Teſtamento ieiunia & abſtinentias inter carnalis & ſeruilis legis opera fuiſſe exiſtimare contenderit. Nam de legibus ſeruilibus & carnalibus per Ezechielem (ut prædiximus) Deus dixerat, Dabo illis leges non bonas, in quibus non uiuent, uerùm ieiunijs & abſtinentijs qui ſeſe his afflixerunt, & humiliauerunt, uicerunt quippe, ac diuinam promeruere gratiam. His denique, ſi Athanaſio credamus, Ieſus ſaluator noſter in carne hominis quem aſſumpſerat eruditus, ſuadelas diaboli tentantis obtundit: quas & ſi aliter potuiſſet obtundere, docendos tamen populos uoluit hac imitatione formare. Sicq; quum pijſsimus redemptor, quadraginta dierum peregerit ieiunium, libertatis ipſe autor, à ſeruili carnaliq; lege liberans, quis tantæ dementiæ, tantæ'ue inſaniæ, ut affirmare audeat, Ieiunij, abſtinentiæq; mandata, uel ſeruilia eſſe, uel exploſis priſcæ
Act. cap. 15. legis ſeruilibus haud abſimilia? Num & CHRISTVS in euangelio fractionis ieiunij inſimulatos Apoſtolos, quandiu cum ſponſo eſſent, excuſat: ſed ſublato ſponſo, eos ieiunaturos prædixit? Quum tamen publico decreto poſtea definierint Apoſtoli, & ſeniores carnalis & ſeruilis legis opera minimè obſeruanda eſſe. Item in euangelio CHRISTVS, Hoc genus dęmonij non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio. Apoſtoli etiam & diſcipuli poſt editam legem ne legalia obſeruarentur, quoties ieiunarint
Luc. in Apoſtol. Act. commemorat Lucas. Et quum (inquit) eſſet multa ieiunatio. Et rurſum: Ieiunantibus autem, & orantibus illis

dixit

dixit ſpiritus ſanctus.& alibi ſepe. Si è numero legalium, & ſeruilium ieiunij lex fuiſſet, eam Apoſtoli promulgata naſcentis eccleſiæ definitione, qua omnia legalia ſublata denunciantur,minimè obſeruaſſent. Denique Paulus ſeſe in multis uigilijs abſtinentijs,& ieiunijs laboraſſe commemorat. Ieiuniorum proinde legem minimè ſeruilem, uel carnalem eſſe aſſeuerat. Item Apoſtolus nónne Corinthios qui ſeſe ea fidei perfectione ſtare putabant, ut nullam ſibi abſtinentiam neceſſariam arbitrarentur,monens, & arguens ait,Eos qui in agone contendunt, ſe ab omnibus abſtinere. Et illi quidem (ſubiungit) ut corruptibilem coronam accipiant,uos autem incorruptam. Non ſolùm igitur conducibilem abſtinentiam, uerùm & neceſſariam in Chriſtiana lege Apoſtolus affirmat. Deſipiunt proinde mirum in modum,qui illius præceptiones in Chriſtianiſmo hactenus obſeruatas,ſeruilibus & carnalibus ſublatis, perquam ſimiles eſſe autumant, indeq; eas in exilium protrudere moliuntur. Haudq; abſimili ratione eccleſiæ mandata, quæ feſtorum celebrationem, & cultum iubent nec ſublatis carnalibus ſimilia cenſeri poſſunt. Horum quippe ſcopus & finitio non parum à legis carnalis fine differt. Celebrantur nanque in Chriſtianiſmo feſti dies, ut operibus mundanis feriati fideles, liberius diuino intendant ſeruitio, atque his diebus quibus noſtræ ſalutis autoramenta, firmamenta, uel ſanctorum glorioſa æterni præmij natalitia celebrata fuiſſe credimus,pro his impenſius, maioriq; attentione pientiſsimo omnium creatori gratias perſoluamus, mentemq; terreſtri uacantem cogitatione ad Deum eleuemus. Et præterea diuus Ignatius ait, Pro ſabbatiſatione diem feſtum celebret omnis Chriſtianus dominicam reſurrectionem,regalem,eminentiſsimam

1. ad Corint. cap. 9.

Ignatius in epiſt. ad Magneſ.

mam omnium dierum, de qua Propheta expectans dicebat, in finem pro octauo. In quo die & uita noſtra exorta eſt, & mortis in Chriſto facta uictoria: quam filij perditionis negant, inimici ſcilicet ſaluatoris: quorum Deus uenter eſt, qui terrena ſapiunt: amatores uoluptatum, non Dei: ſpeciem quidem pietatis præ ſe ferentes, uirtutem autem eius abnegantes: Chriſtum mercantes, uerbum Dei in tabernis prædicantes. Sic ille. Sed longè clarius iſtuc ipſum explanat Damaſcenus, inquiens: Vt igitur dixi uacationis gratia ad Deum ut uel minimam portionem diſtribuerent, & requieſcerent, & ſeruis & ſubiugale ſabbati obſeruatio excogitata paruulis adhuc & ſub elementis mundi huius ſeruientibus corporalibus, & nihil ſupra corpus, & literam intelligere ualentibus. Quando autem uenit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum unigenitum hominem factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut filiorum adoptionem reciperemus. Quotquot enim recepimus eum, dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in ipſum. Quare non amplius ſumus ſerui, ſed filij: non amplius ſub lege, ſed ſub gratia: non amplius ſeruientes in parte domino cum timore, ſed totum uitæ noſtræ tempus offerre debentes, & ſemper ſeruitute adigentes. Iram dico, & concupiſcentiam à peccato ſedantes, & ad uacandum Deo conuertentes, uniuerſum deſiderium ſemper ad Deum extendentes, & iram aduerſus Dei inimicos armantes, & ſubiugale noſtrum, id eſt, corpus à peccati iugo requieſcere facientes, & ad diuinorum mandatorum ſeruitium dirigentes, hæc ſpiritualis uobis præcepit Chriſti lex, & qui hanc obſeruant, ſuperiores Moſaica lege euadunt. Quum uenit enim quod perfectum eſt, quod ex parte euacuatum eſt,

Damaſce. li. 4. cap. 24.

& uela

& uelamine legis, id eſt, uelo per CHRISTI ſaluatoris crucifixionem diſciſſo, & ſpiritu igneis linguis relucente, litera euacuata eſt, corporalia ceſſarunt, & ſeruitutis lex impleta eſt,& lex libertatis nobis donata eſt, & feſtam celebramus perfectam humanæ naturæ requiem, diem inquam reſurrectionis, in qua nos dominus Ieſus uitę autor & ſaluator in repromiſſam his qui ſpiritualiter Deum colunt hæreditatem introduxit:in quam ipſe præcurſor noſter ſubintrauit,reſurgens ex mortuis,& apertis cœleſtibus portis in dextera patris corporaliter ſedet, ubi & qui ſpiritualem obſeruant legem, introibunt. Nobis igitur qui ſpiritus elementis hæremus,& non literę omnis carnalium eſt depoſitio, & ſpirituali cultu ad Deum coniunctio. Sic ille. Hiſce profectò Damaſcenus euidens admodum diſcrimen inter Iudæorum ſabbatiſationem,& Chriſtianorum feſta declarat, uarietate ſcilicet obſeruantiæ, finis & ſcopi diuerſitate. Atqui & in nouæ legis oblationibus,& ſacrificijs, quæ haud abſimili ratione pſeudoeuangeliſtæ impudenti,blaſphemoq; ore,exufflare nituntur,diuus Irenæus tradit inquiens: Oblationes enim & illic,oblationes autem & hic: ſacrificia in populo, ſacrificia in eccleſia: ſed ſpecies immutata eſt tantum: quippe quum iam non à ſeruis,ſed à liberis offeratur. Vnus enim & idem dominus, proprius autem character ſeruilis oblationis & proprium liberorum, uti & per oblationes oſtendatur iudicium libertatis. Nihil enim otioſum,neq; ſine ſigno,neq; ſine argumento apud Deum:hęc ille. Hiſce palam fit,nouæ legis in oblationibus, ſacrificijs, dierum, feſtorum, ieiuniorum, & abſtinentiarum obſeruatione, quum alium characterem,modũ,iudicium, ſcopũ habeat nulla ratione ſublatæ carnalis,& ſeruilis antiquæ legis referre memoriã.

Iren. lib. 4. aduerſ. omn. hæreſ. ca. 34.

Diluuntur & pleno (ut aiunt) ore pro pſeudoeuangeliſtis adducta rationes, quibus probare contendunt eccleſiæ præceptiones præſertim ob pœnæ ſubſcriptionem Chriſtianæ aduerſari libertati; & ſublatæ ſeruili legi perquàm ſimiles eſſe.

Ad Galat. cap.2. *Ad Coloſſé. cap.2.* *Hierony. ad Galat. ca.4. & ad Coloſ. cap.2.*

SVperioribus autem haudquaquam obſiſtit dum Apoſtolus ait, Dies obſeruatis & menſes. Et rurſum quod idem ad Coloſſenſes ſcribit: Nemo ergo uos iudicet in cibo, in potu, aut in parte diei feſti aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum. Quæ diuus Hieronymus explanás uulgarem interpretationem non eoſdem dies feſtos à Chriſtianis celebrari ſicut à Iudæis refellere uidetur, & alteram acutiorem ſubiungit, dicens, qui uerò appoſitæ quæſtioni acutius reſpondere conatur, illud affirmat, omnes dies æquales eſſe, nec per paraſceue tantum Chriſtum crucifigi, & die dominica reſurgere, ſed ſemper ſanctum reſurrectionis eſſe diem, & ſemper eum ueſci carne dominica. Ieiunia autem, & congregationes inter dies propter eos à uiris prudentibus conſtitutos, qui magis ſeculo uacant, quàm Deo, nec poſſunt imò nolunt totum in eccleſia uitæ ſuæ tempore congregari & ante humanos actus Deo orationum ſuarum offerre ſacrificium. Quotus enim quiſque eſt, qui ſaltem hæc pauca, quæ ſtatuta ſunt, uel orandi tempora, uel ieiunandi ſemper exerceat. Itaque ſicut nobis licet uel ieiunare ſemper, uel ſemper orare, & diem dominicam accepto domini corpore indeſinenter celebrare gaudentibus. Non ita & Iudæis phas eſt omni tempore immolare agnum, Pentecoſten agere, tabernacula figere, ieiunare quotidie. Sic ille. Quæ profectò ratio & ſi bona apparensq; uideatur: ſuperior tamen

conſideratio clarius has ex Apoſtoli dictis obiectiones diluit, quòd alia ſit in lege libertatis obſeruatio, diuerſus item ſcopus, quàm in antiqua lege ſeruili, ut uel ſatis prædiſſeruimus. Denique legalia hæc erant pœnitus, & ſeruilia, quæ Apoſtolus ad Galatas reprobat, quæ ut in Coloſſenſibus reprehendit, umbra futurorum erant. Atqui (ut præfati ſumus) eccleſiæ præceptiones in ieiunijs, abſtinentijs feſtorum cultu, & celebratione, orationibus, & ſacrificijs nullo modo ſeruiles & carnales, ſed longè carnalibus, ſeruilibus abſimiles ſunt. Nec cenſeri poſſunt è numero earum carnalium quę figuram futurorum gerebant: quum pro ueritatis recordatione, ueneratione, agnitione, & confeſsione editæ fuerint. Denique & tum naſcentis eccleſiæ ſtatu nec id uel quicquam aliud priſcæ ſimile ſeruili legi fideles obſeruarent, à Chriſtianiſmo ducendum erat, Ne hinc ad integram legalium obſeruationem, ſicq; ad Iudaiſmum traducerentur, & candidæ nouæ legis caſtitatem antiquæ admixtam legi ſuperſtitione uiolarent. Quod uel dilucidè Hieronymus affirmaſſe uidetur. Et Tertullianus haud abſimiliter dicebat, hoc enim rudi fidei, & adhuc de legis obſeruatione ſuſpenſæ decebat. Hinc Apoſtoli eccleſiæ Chriſtianæ primordijs ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato, cibis alioqui lege euangelica permiſsis, abſtinere iubent, id orienti Chriſtianiſmo conducere rati. Poſtea tamen hæc obſoleuit traditio, ceu inutilis & diſſentanea. Indeq; etiam uel clarè dilui poteſt altera ratio pro pſeudoeuangeliſtis, ex Apoſtoli ad Coloſſenſes uerbis facta. Si mortui cum CHRISTO ab elementis mundi, quid adhuc tanquam uiuentes in mundo decernitis? ne tetigeritis, &c. quæ ſunt omnia in interitu ipſo uſu ſecundum præcepta, & doctrinas hominum, quæ ſunt

Hierony. lib. 2. aduerſ. Iouinia.

Tertull. aduer. Marcia. lib. 2.

Act. cap. 15.

rationem quidem habentia ſapientiæ, &c. De quorum planè Apoſtoli uerborum intellectu Paulinus interrogauit Auguſtinum, illa ſibi admodum obſcura eſſe aſſerens. Ad quem diuus Auguſtinus reſpondens, Quæ tibi obſcura eſſe dixiſti, neque ego adhuc ſine caligine intelligo: atque utinam præſens iſta de me quæſiſſes. In eo quippe ſenſu, quem mihi in his uerbis habere uideor, adhibenda eſt quædam pronunciatio in uultu & modo uocis, qui exprimi literis non poteſt ut ex aliqua parte aperitur: quod ideo fit obſcurius, quia non rectè ſicut exiſtimo pronunciatur. Sic ille. Si igitur diuus Auguſtinus uir doctiſsimus hæc Apoſtoli uerba intellectu admodum difficilia, & interpretatione obſcura ingenuè profeſſus fuerit, horũ profectò expoſitio admodum difficilis uideri poteſt. Ob quod diuus Auguſtinus omnem capituli textum à capite uſque ad calcem repetit & explicat. Ipſe uerò ut compendioſius nodum hunc extricent, ut ex eiuſdem Auguſtini, Ambroſij, Athanaſij, & Lyrenſis ſententijs noſtri tenuitas ingenij elicere potuit, rem explanabimus. Nempe ſi ſacris his credamus doctoribus præſertim diuis Ambroſio & Athanaſio, baptiſmo fideles abrenũciant mundo: propter quod Ioannes Apoſtolus ait, Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: id eſt (ait Ambroſius) elementa quibus mundus compactus eſt, nec errores, quos humana adinuenit traditio: ſed ſolùm CHRISTVM, qui pro nobis mortuus eſt, cum quo nos conſepultos eſſe oportet. Secundum autem illa elementa mundi & curſum illorum multos errores gentiles habebant, decernentes (ut explicat Athanaſius) quæ proſpera quæ'ue ſiniſtra, & quòd quibuſdam diebus quarundam rerum contractatio, uel guſtatio mala eſſet: quæ ſunt omnia in interitu ipſo uſu. Hæc enim

Auguſt. epiſtol. 59.

enim (infit Ambroſius) ſecundum traditiones hominum elementarias obſeruare, interitus eſt, mors ſcilicet ſpiritalis, quòd in illis ſit uana ſpes, & hæc humanus error aduerſum creatoris honorem inuenerit. Haudq; abſimiliter uerba ea de gentilium traditionibus, & obſeruationibus Auguſtinus citato loco intellexiſſe uidetur. Hæc præcepta, & doctrinæ, ſapientiæ rationem habere putantur, quia traditioni humanæ nomen religionis applicant, ut religio appelletur, quum ſit ſacrilegium, quòd eſt contra autorem ſacrilega mente inuentum, & non ad parcendum corpori, id eſt (ait Ambroſius) ut obſint corpori Chriſti, huic enim grauati non poterunt ſurſum iungi capiti ſuo, ut extollantur in illo. Vel, ut diuus Athanaſius inquit, præcepta hæc & traditiones hominum ſpeciem humilitatis habere uidebantur, eo quòd non parcerent corpori. Diuus uerò Auguſtinus hæc poſtrema Apoſtoli uerba explanans, ait: Omnia hæc (inquit) magis ad corruptionem ualent, quum ſuperſtitioſe ab his abſtinetur, ut eis homo abutatur, id eſt, non eis utatur ſecundum præcepta, & doctrinas hominum hoc planum eſt. Sed quod ſequitur multum requiris: quæ ſunt quidem rationem habentia ſapientiæ in obſeruatione & humilitate cordis, & uexatione corporis, uel ſicut alij interpretati ſunt, ad non parcendum corpori non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis: Cur (inquis) hæc dicit rationem habere ſapientiæ, quæ ita reprehendit? Dicam quod & in ſcripturis potes aduertere, ſæpe ſapientiam poſitam etiam in ſedibus mundi huius, quam dicit expreſsius ſapientiam huius mundi: nec moueat, quòd hic non addidit, mundi: non enim & alio loco, quum ait, Vbi ſapiens? ubi ſcriba? addidit, huius mundi: ut diceret, Vbi ſapiens huius mundi? & tamen in-

 telligit

telligitur ſic, & iſta ratio ſapientiæ: nihil enim ab eis dicitur in huiuſmodi ſuperſtitioſis obſeruationibus ubi non mundi elementa naturaliumq; rerum ratio quædam ſapientiæ reddi uideatur. Nam & quum dicit, Cauete ne quis uos decipiat per Philoſophiam: non ait, huius mundi. Et quid eſt Philoſophia Latinè, niſi iudicium ſapientiæ? Sunt ergo (inquit) iſta rationem habentia ſapientiæ, id eſt, de quibus aliqua ratio reddatur ſecundum elementa mundi huius, & principatus, ac poteſtates in obſeruatione & humilitate cordis. Id enim agunt, ut ſuperſtitionis uitio cor humilietur ad non parcendum corpori, dum fraudatur iſtis eſcis, quibus compellitur abſtinere, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Non quòd honoratius illo magis quàm illo cibo caro ſaturaretur, quum ad eius neceſsitatem non pertineat niſi à quolibet ualetudini apto alimento refici atque fulciri. Et quanquam horum ſacrorum doctorum intellectus in ſe uerus ſit, tamen luculentior, planior, magiſq; conuenire uidetur, quem Lyrenſis tradit: qui tamen neque à præfatorum expoſitione doctorum diſſonat. Elementa quippe mundi Apoſtolus ad Galatas ſcribens legales Iudæorum obſeruationes uocauit: Egena (inquit) & infirma elementa mundi: quæ (ut prædiximus) Hugo à ſancto Victore elementa eſſe, quaſi primas literas, quæ perfectè rem non explicent, ſed ſermonis figuram præ ſe ferant, qui demum perfectè reuelatus eſt in lege gratiæ. Si igitur mortui ſumus cum Chriſto, ab elementis mundi, à traditionibus legalibus, quæ umbræ erant, ceſſantibus aduenientc ueritate. Quid ultra decernitis, inquit Apoſtolus, quædam ſcilicet cibaria immunda ſui natura eſſe, & quædam munda, dicentes: Ne tetigeritis, neque ultra guſtaueritis, neq; contractaueritis,

morticinium uidelicet ſuffocatum, uel carnem ſuillam. Nec hæc admonitio Coloſſenſibus diſconuenit, licet hi ex gentibus eſſent nouiter ad fidem conuerſi. Nam & ex illis plerique erant, qui putabant adhuc oportere legalia obſeruari. Et præterea ad eoſdem Coloſſenſes paulò antea Paulus dixerat, Nemo ergo uos iudicet, aut in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum. Illos hiſce uerbis monens, ne ſeducantur doctrina illorum qui prædicabant legalia obſeruanda eſſe. Et Galatas etiam reprehendens idem Apoſtolus ait, Quomodo conuertimini iterũ ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſeruire uultis: dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Sed & idem ad Romanos ſcribens, legalia opera minimè neceſſaria eſſe ad ſalutem prædicabat, ſed ſufficere ſolam Chriſti Ieſu fidem. Sicq; non incommodè hæc Apoſtoli uerba de legalibus traditionibus interpretantur, licet non ad Iudæos, ſed ad Coloſſenſes, qui ex gentibus erant, loquatur: quarum obſeruationem interitum eſſe dicit: Quæ ſunt, inquiens, omnia in interitu ipſo uſu. Si enim (ut antea ad Galatas ipſe dixerat) iterum circuncidimini, uel alia (intelligit) obſeruetis legalia, Chriſtus nihil uobis prodeſt. Et ſubiungit: Secundum pręcepta & doctrinas hominum. Enimuero legalibus multa ſeniores Iudæorum adiunxerant, quibus penè totam legem inuerterant: irritum facientes mãdatum Dei propter traditionem ſuam, ut Chriſtus in euangelio ait, & ita Athanaſius explanat. Et propterea (infit) eius legis præcepta appellat mandata, & doctrinas hominum: uel ut idem ait, Pòſt CHRISTI aduentum hæc ipſa præcipere, & docere, quum iam legalia omnia ſublata ſint, non amplius legis Dei prædicatio dici

meretur

meretur, ſed potius mandata & doctrinæ hominum cenſeri debent. Rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate: id eſt, propter ſimulatam maiorem religionem, quam ſuperſtitionem uocat, & humiliationem carnis, dum hæc legalia obſeruantur. Iam hæc mandata, & doctrinæ, quæ nunc hominum ſunt (quum iam lex illa tunc diuina ceſſauerit) ſapientiæ rationem habere uidentur, etiam ſpiritaliter:qui enim maioris humiliationis, & religionis cultum ſimulant, maiorem ſapientiæ rationem præ ſe ferre uidentur,& non ad parcendum corpori declaratur modus ſuperſtitionis,& fictæ humiliationis. Dicebant enim hæc ipſa obſeruanda eſſe,ut magis humiliarent corpus, non propter eleuationem mentis, ut eccleſiaſtica ieiunia, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. ficta enim humilitate hi aſſerebant,non quærere honorem neque ſaturitatem carnis. Sicq; multos ex Coloſſenſibus pſeudo hi Apoſtoli,iam ſublata mundi elementa prædicantes,decipiebant. Abſit autem ut inde præiudicatas cenſeamus abſtinentiæ, ieiunij, & cæterorum id genus eccleſiaſticas præceptiones, & eas mandata, & doctrinas hominum aſſeramus, habentes rationem ſapientiæ in humilitate, & ſuperſtitione, alioqui & prioris inſtrumenti omnes ſanctos uiros legalibus obſeruationibus haudquaquam obnoxios, ut prædiximus, qui plerunque ieiunij,& abſtinentiæ,legem prædicauerunt,quinimo præceperunt & opere adimpleuerunt. Chriſtum etiam, qui ieiunium quadraginta dierum peregit, ac ſanctos Apoſtolos reprehendamus, neceſſum eſt, ut prædiſſeruimus. Sed num & Apoſtoli ſpiritu Dei pleni (ut præfati ſumus) præceperūt abſtinere ab immolatis,ſanguine,& ſuffocato? Quæ præceptio ſecundum illa elementa mundi uideretur,

ſed

ſed finis illius optimus, & ſaluber, eam præceptionem neceſſariam (ut explicauimus) reddebat. Abſit igitur, ut Apoſtolum intelligamus uoluiſſe reprehendere eccleſiæ præceptiones, eo traditas fine, & ſcopo, ut humiliata & depreſſa carne mens ad Deum eleuetur. Improbauit ſolùm Apoſtolus obſeruationem legalium, ne crux CHRISTI euacuaretur, & in hiſce mandatis & doctrinis finem fictæ religionis quam ſuperſtitionem uocat, & ſimulatæ humilitatis præiudicat. Ac ob id ea mandata & doctrinas hominum uocat, quæ rationem ſapientiæ habere uidentur. Sed non eſt hic finis eccleſiaſticarum præceptionum, quæ (ut in ſequentibus dicemus) non mandata & doctrinæ hominum cenſeri debent, ſed potius leges ſpiritusſancti per ora hominum promulgatæ. Sed num promittit CHRISTVS paracletum eccleſiæ directorem & docere multa quæ ipſe non docuerat? Quia Apoſtoli tum portare non poterant & ſuggerere, id eſt, interpretari, quę Chriſtus docuerat, quæ tamen Apoſtolis obſcura erant. Nec planè eaipſa intelligebant, ubi hanc adimpletam promiſsionem adinuenire poſſemus, niſi in decretis & præceptionibus eccleſiaſticis. Non enim (ut plerunque prædiximus) pro naſcentis tempore eccleſiæ hæc ipſa ſolùm promiſſa ſunt, ſed ad ſeculi conſummationem uſque. Non igitur eccleſiæ mandata, & doctrinæ præcepta, & dogmata hominum cenſeri poſſunt. Quum ſuggerente ſpiritu emanaſſe credantur. Neque in ſuperſtitione, & ſimulata humilitate traduntur. Sed potius (ut latè prædiſſeruimus) ut ueram, & ſynceram, humiliata & depreſſa carne, religionem obſeruemus. Ac ea in re pſeudoeuangeliſtæ ſimiles uideri poſſent his, qui propter ęramento commixtos argenteos, uel aureos nummos uerorum uſum tollere

molirentur. Quíue propter ficta,& palliata quædam medicamenta,uera amouere antidota curarent. Nec pariter refragatur quod Apoſtolus ad Timotheum ait: Corporalis autem exercitatio ad modicum utilis eſt. Intelligit quippe,niſi pietatis habeat annexa opera. Non dicit eam prorſus inutilem,ſed ad modicum utilem, ſi pietas illi defuerit. Et ita explanat diuus Ambroſius,inquiens:Exercitium autem corporale ad modicum utile dicit, ieiunare autem & abſtinere à cibis manente autoritate creatoris non multum prodeſt,niſi addatur huic pietas cuius opera multorum precibus adiuuatur ad dominum promerendum. Propter quod Apoſtolus quum dixiſſet, Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: mox ſubiungit, Pietas autem ad omnia utilis eſt:promiſsionem habet uitæ,quę nunc eſt,& futuræ. Sed & diuus Athanaſius aliter corporalem exercitationem intelligit,inquiens: Nonnulli corporis exercitationem ieiunium dicunt: quod tamen ſecus ſe habet, ſi quidem ſpiritalis ſit. Nam & ſi corpus per inediam maceratur,ſpiritus tamen eſt uigilantior.Sed corporalis exercitatio corporis eſt agitatio quædam, quæ quum laboris habeat plurimum,parum tamen & ad breue corpori ſit profutura. Longè minus profectò prædiſertis aduerſatur,dum ad Romanos,& rurſum ad Corinthios ſcribens Apoſtolus ciborum ac eſcarum delectum improbat,atque manducantem à non manducante minimè ſperni debere cenſet. Enimuero tum naſcentis eccleſiæ exordio ex fidelibus quidam idolotitum cibum quo nouiter ex gentibus ad fidem conuerſi antea, ritu ueſci gentilicio conſueuerant,manducare uerebantur,ceu illicitum,& Chriſtianis prohibitum. Alij uerò perfectioris fidei paſsim hunc cibum edebant.Vtrunque primum eden-

tem

tem & non edentem Apoſtolus minimè uitio uertit, nec alterum ab altero contemnendum eſſe aſſerit, cibum eum non propterea illicitum iudicans, ita ut licitum ſit eo uti, uel non uti: neque alterius libertatem in hoc quiſquam iudicare debeat. Idem quoque intelligit ſi Athanaſio credamus, de carne ſuilla lege ſeruili Iudæis interdicta: Si tamen (inquit) ex eorum euangelica lege permiſſorum ciborum eſu uel non eſu ſcandalum ſit fratribus: ut pote qui edentem idolotita ad ritum gentilicium redire ſuſpicentur, uel alij non edentem minus perfectæ fidei, aut edentem carnem ſuillam ſcandalum forte generare. Iudæis, hunc cibum natura abhorrentibus: uel non edentem Chriſtianis (quia putant hunc legalia obſeruare uelle) ne ſcandalum proximo inferatur, uel his ueſcendum uel abſtinendum cenſet. Nihil autem interrogare iubet, ne forte conſcientiæ ſcrupulus titillet: timoratæ quippe plerique conſcientiæ quum idolis immolata ſciebant, ſubdubitare poterant, an uerò & perfectò Chriſtiano hiſce uti liceret. Hos omnes ſcrupos amouendos eſſe Apoſtolus præcipit, *Act. cap. 15.* omnemq; eſcam, quam creauit dominus, cum gratiarum actione percipi poſſe, ſicq; nullum cibum ſui natura ad eſum illicitum iudicandum. Hæc planè Apoſtoli monita maximè orienti Chriſtianiſmo conducebant. Sed & in ea re prodit germanæ eccleſiæ decretum, quo ex gentibus ad fidem conuerſis præcipiuntur abſtinere ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato. Immolatis, non quòd hos cibos natura illicitos, uel euangelica lege prohibitos cenſeret: ſed eam ob ſuſpicionem amouendam, ne gentilicium retinentes ritum à Chriſtianiſmo decedere uelle ab alijs putarentur, uel minus præfecti exiſtimarentur Chriſtiani: à ſanguine & ſuffocato, ne communis inter Iudæos & gen-

tiles in Chriſtianiſmum allectos uictus interturbaretur, ſi gentiles his cibis, quos Iudæi natura abhorrebant, uterentur. Sicq; hæc fratrum offendicula, quæ Apoſtolus enunciat, eccleſiæ præceptum tollere uoluit. Idq; præceptum Apoſtolus prædicauit cum Barnaba eccleſias confirmans, ut Lucas in Apoſtolorum actis commemorat. Atqui dicunt pſeudoeuangeliſtæ Paulum ad Corinthios & ad Romanos longè pòſt antedictum eccleſiæ promulgatum decretum epiſtolas ſcripſiſſe, quibus illos monet, ciborum delectum minimè facere, ſed illis cum gratiarum actione uti: niſi forte ſcandalum fratribus inde ſuboriatur. Hincq; præſcriptionem dirigentes ſubinferre moliuntur, ſæpedictum naſcentis eccleſiæ præceptum, ut ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato in Chriſtianiſmum abſtinerent haudquaquam, niſi propter fratrum deuitandum ſcandalum obſeruatione neceſſarium fuiſſe Paulum hiſce epiſtolis ad Corinthios & Romanos declaraſſe: inde conficientes poſterioris eccleſiæ præcepta, quæ ieiunium & abſtinentiam certis diebus & temporibus indicunt propter fratrum euitandum ſcandalum duntaxat, non alioqui obſeruanda fore. In quo mirum in modum allucinantur. Nam age has Pauli epiſtolas poſteaquam ille cum Silla prælibatum eccleſiæ orientis mandatum prædicauit ſcriptas fuiſſe. Non inde bona cenſura conſequens erit, eccleſiæ mandata ob fratrum deuitandum ſcandalum ſolum obſeruanda. Neque eſſet par ratio in eo germanę eccleſię decreto & ſubſecutis poſteriore illius ſtatu præceptionibus & mandatis. Nempe præceptum id, ut abſtinerent Chriſtiani ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato, pro fine, & ſcopo ſolum ſcandali proximi deuitationem habebat. Ob id nanque cenſebant Apoſtoli ab immolatis abſtinendum eſſe (ut ferme

ſerme ad nauſeam uſque prædiſſeruimus) ne ſi nouiter ex gentibus baptiſmo tincti hiſceueſcerentur cibis,quibus ante gentilicio ritu uti conſueuiſſent, hinc fratribus ſuſpicio ſuboriretur, eos è profeſſa decedere uelle fide, & ad idolorum redire cultum: non quòd eam eſcam (& ſi ſimulacris immolata eſſet) immundam iudicarent. Deniq; quantum ad ſanguinem, & ſuffocatum attinet, cibos priſca ſeruili lege prohibitos: neque ab his iubent abſtinere Apoſtoli uelut prohibitis, quum legalia ſublata eſſe publico declaraſſent decreto. Sed habuit ea præceptio pro ſcopo & fine, ne offendiculum fieret fratribus Iudæis, qui hos cibos natura abhorrebant. Atque ob id ab aliorum conuictu Chriſtianorum retrahi potuiſſent. Huius idcirco primitiuæ eccleſiæ decreti ſcopus & finis fuit,ne fratres ſcandalizarentur,néue illis offendiculum pararetur. Nimirum proinde ſi Paulus horum ciborum eſum minimè interdictum cenſuerit, quum ſeruilis legis opera minimè ad ſalutem neceſſaria paſsim clamaret,& ne inde eo præcepto contrarium Apoſtolos cenſuiſſe fideles ſuſpicarentur, horum ciborum delectum minimè neceſſarium per ſe quàm luculentiſsimè Paulus declarare uoluit, propter tamen fratrum deuitandum offendiculum & ſcandalum (is enim huius præcepti ſcopus fuerat) abſtinendum cenſet,& neceſſarium aſſerit. Verùm in poſterioribus præceptis quæ ieiunia, & à lacticinijs abſtinentiam certis anni temporibus indicunt,longè diuerſa militat ratio. Neque enim illorum ſcopus fuit in proximo ſcandali deuitatio,ſed carnis depreſsio,& humiliatio,indeq; ſubſequens ſpiritus eleuatio, ut in pugna ille depreſſa carne uincere poſſet. Ob quod Paulus Corinthios monebat in agone ab omnibus abſtinendum eſſe quibus ſpiritus aduerſum

carnem uictoria deturbari poſſet. Hinc ſeſe dicit corpus ſuum caſtigare,& in ſeruitutem redigere ille finis eccleſiæ mandatorum in ieiunijs & abſtinentijs, qui bonam in quolibet Chriſtiano interim hominis ualetudinem, renouationem item contingit: & non, ut proximi deuitetur ſcandalum, indicta ſunt. Non idcirco horum præceptorum obligationem,& aſtrictionem ceſſare dicemus,quòd minimè offendiculum fratribus paretur. Non enim hic ſcopus earum præceptionum fuit, ſed carnis depreſsio & conſectanea mentis eleuatio. Qua in re & quum Apoſtolus Dei ſpiritu atq; gratia plenus dixerit ſeſe corpus ſuum caſtigare, & in ſeruitutem redigere, ſicq; ea carnis compreſsione egere, ne lex mentis lege membrorum repugnante deturbaretur. Quis tantæ ſuperbiæ? quis'ue tantæ arrogantiæ,ut arbitretur ſe minimè eo egere fine eccleſiaſtici præcepti, depreſsione uidelicet carnis ad ſpiritus eleuationem? Quis ita demens ſe adeo ſanum arbitrabitur? ut ſeſe hiſce eccleſiæ pharmacis minimè egere autumet? niſi qui hoſtis fallacias nunquam prænouerit. Quam ob rem perſeuerante eccleſiaſtici ſcopo & fine mandati,illius quoque obligationem, & aſtrictionem ſemper ſubſiſtere fateri neceſſum eſt. Perperam idcirco ex Pauli dictis pſeudoeuangeliſtę inferre ſatagerunt,præceptiones eccleſiaſticas, ieiunium & abſtinentiam à certis cibis, quibus caro inualeſceret iudicantes, minimè obſeruatione neceſſarias, niſi ad proximi deuitandum ſcandalum. Non enim hic illarum finis & ſcopus fuit: ſed carnis depreſsio & conſequens mentis eleuatio, quibus quemlibet fidelem uel neceſſariò egere apud omnes in confeſſo eſt. Et propterea prioris eccleſiæ præcepti, ut abſtineretur ab immolatis, ſanguine,& ſuffocato obſeruatio,non multo progrediente

tempore obſoleuit, quemadmodum prædiſſeruimus, ceſſante illius ſcilicet ſcopo & fine, proximi offendiculo uel ſcandalo. Mandatorum autem eccleſiæ obſeruationem ad conſummationem uſq; perſeuerare oportet: illorum ſcopo & fine (humiliandæ ſcilicet carnis, indeq; exaltandi ſpiritus) ſemper neceſſarijs & requiſitis, ut legi Dei ſecundum internum hominem condelectari poſsimus. Nemo igitur uel mediocri ſibi conſtans cenſura antelibata Apoſtoli dicta eccleſiæ præceptionibus aduerſari autumabit. Sed quid & diuus Hieronymus dicit, citata eiuſdem Apoſtoli ad Romanos atque ad Corinthios uerba tum emanaſſe, quum ieiunia nondum erant ſub certo modo legis redacta, ſentiens ſuperuenientem legem abſtinentiam præcipientem quod in medio poſitum erat in alteram deflectere partem. *Hierony. ſuper epiſt. ad Rom. cap. 14.* Haudq; abſimili ratione ſuperioribus uel minimè refragari cenſeri poteſt, quod Apoſtolus ad Timotheum ſcribit, Quia in nouiſsimis temporibus, &c. quidam prohibebunt nubere, & abſtinere à cibis. Nam planè idem ſe explanat dum ſubiungit. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione præcipitur. Loquitur proinde de ijſipſis, qui nuptias hominibus lege ipſa interdictas cenſerent, eaſq; detractarent: & cibos quoſdam, uelut ſui natura illicitos, ab eſu eriperent: quia omnis creatura Dei bona eſt. Sicq; credere cibum aliquem à Deo creatum illicitum, eſt erroris duci ſpiritu. Sed quid iam hæreſes illæ, de quibus prædixit Apoſtolus, fuere & damnatæ ſunt, ſi diuo Athanaſio credamus, ea enim Apoſtoli uerba ad Timotheum explicans ait, Equidem non de Iudæis prædicit, quippe qui ſuperioribus temporibus fuere, ſed de Marcioniſtis, & Manicheis, & cæteris hæreſum ſectatoribus. Et mox idem

Athanaſius,ſuper uerbo. Attendentes,ſubiungit. Horum nanque ſuggeſtione & opera, & eſcam detractabant, & nuptias. Arguit prӕterea & reliquas hӕreſes,quӕ omnes per dӕmonum fallaciam obrepſere & doctrinam. Nec tamen has apertius patefacit, ne illas in animo diſſeminet hominum. Sed eam quӕ iam obrepſiſſet eſcam, ut dicimus, & nuptias detractantem imprӕſentiarum oſtendit. Sic ille. Admodum conſpicuè idcirco diuus Athanaſius hӕreſim eam, quӕ eſcam, & nuptias detractabat, ſicq́; utrunque cenſebat illicitum,iam obrepſiſſe aſtruit:eas hӕreſes,quӕ nondum ortӕ erant,tacuiſſe Apoſtolum, ne eas diſſeminaret: aſſerit Marcioniſtarum hunc errorem fuiſſe,qui nuptias illicitas cenſebant,& detractabant, & quaſdam eſcas natura ipſa illicitas prohibitasq́; aſſerentes. Damnat igitur Apoſtolus ex Athanaſij intellectu & ſententia hunc Marcioniſtarum errorem. Nec huic refragatur intelligentiӕ dum Apoſtolus dicit, Spiritus dixit nouiſsimis temporibus. Spiritus quippe Dei omnia ab ӕterno prӕſciens,hunc in nouiſsimis temporibus,in lege ſcilicet gratiӕ:antiquiſsima quippe tempora legis naturӕ media ſcriptӕ legis, nouiſsima legis gratiӕ dicuntur. Non igitur ulla ratione Apoſtoli uerba ad eccleſiӕ prӕceptiones,quӕ circa celibatum, abſtinentiam, & ieiunia emanarunt,referri poſſunt,quum iam apparentem ſolùm damnaret errorem: nec futuros, qui nondum obrepſerant, exprimere uoluit. Sicq́; falsò aſſeuerant pſeudoeuangeliſtӕ, Apoſtolum prӕdamnaſſe eccleſiӕ prӕceptiones de abſtinentia & celibatu: ſed damnauit Marcioniſtarum, qui iam obrepſerat,errorem: qui nuptias,eſcas denique quaſdam, ueluti illicitas, detractabant. Eoq́; modo Apoſtoli uerba diuus Auguſtinus ad Ianuarium ſcribens intellexit, inquiens:

Auguſt. epiſtol. 119.

inquiens: Itaque illud quod ſcripſiſti,quoſdam fratres ita temperare carnibus ut immundos qui comederint arbitrentur: aſſerens hanc hæreticam opinionem ab Apoſtolo præiudicatam, dum inquit, Spiritus autem manifeſtè dicit. Et rurſum dum ad Titum ait, Quoniam, inquit, munda mundis: tamen à quibuſlibet cibis refrenandæ carnalis concupiſcentiæ cauſa temperare uoluit. Sed non hoc (ait Auguſtinus) eis permittititur ſuperſtitiosè atque infideliter facere,immundos eos qui comederint reputantes. *Aug. lib. de fide & operibus cap. 4.* Alioqui ſi abſtinentiam à quibuſdam cibis minimè ab eccleſiæ adminiſtris præcipi poſſe Apoſtolus cenſuiſſet, iam manifeſtè ab omni Apoſtolorum & ſeniorum primitiuæ eccleſiæ iudicio, & ſententia decedere uideretur: hi enim mandauerunt abſtinere ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato, cibis alioqui lege euangelica licitis, & permiſsis. Abſit autem ut uel paululum inter ſe ſacros Apoſtolos diſsidere arbitremur. Vnde pro concluſione dicere pſeudoeuangeliſtis lubet, quòd diuus Auguſtinus ait, quòd quidam legentes illud Apoſtoli ad Timotheum, quòd omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abijciendum quod cum gratiarum actione accipitur: & perperam intelligentes in uoracitatem uinolentiamq; ſunt collapſi,nec ſibi ualentes auferre uitia, niſi eis è contrario tanta uel maiora ſuccederent. Sic ille. Hos profectò ualidiſsime obiurgat diuus Ambroſius: Qui ſunt (inquit) ergo hi præceptores noui, qui meritum excludant ieiunij. *Amb. epiſt. 82. ad Vercellen. eccle.* Nónne gentilium iſta uox eſt? dicentium, Manducemus, & bibamus: quos benè irridet Apoſtolus dicens, Si ſecundum hominem pugnaui Epheſi ad beſtias, quid mihi prodeſt? Si mortui non reſurgunt, manducemus, & bibamus: cras enim moriemur. Hoc eſt, quid mihi profuit uſque ad

mortem contentio? niſi ut hominem redimerem meum: qui fruſtra redimitur, ſi nulla eſt ſpes reſurrectionis: ac per hoc ſpe omni redemptionis amiſſa, manducemus, & bibamus, ne amittamus fructum præſentium, qui futurorum nullum tenemus. Illorum ergo eſt, cibis & potibus indulgere,qui nihil pòſt mortem ſuam ſperant. Denique Epicurei dicunt aſſertores uoluptatis, Quia mors nihil ad nos. Quo demonſtrant,corpore ſe tantùm,non mente uiuere:nec animæ fungi, ſed carnis ſolius munere qui ſucceſsione animæ corporisq; diſſolui munus ſuæ uitæ omne exiſtiment, perire merita uirtutum, atque animæ omnem uigorem, totos ſe deficere tum corporis ſenſu, nihil reliquiarum ſupereſſe animæ, quum ipſum corpus ſtatim non reſoluatur. Prius ergo diſſoluitur anima, quàm corpus,quum ſecundum ſuam opinionem uel carnem & oſſa conſiderare debeant,quæ pòſt mortem ſuperſunt. Secundum autem ueram aſſertionem negare non debeant reſurrectionis gratiam. Meritò hos redarguens Apoſtolus, monet nos, ne talibus labamur opinionibus dicens: Nolite ſeduci, Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Sobrij eſtote iuſtè,& nolite peccare.Ignorantiam quidam Dei habent. Bonum ergo ſobrietas,quia peccatum ebrietas eſt. Quid quod ille Epicurus defenſor uoluptatis, cuius ideo frequentem facimus mentionem, ut hos aut gentilium diſcipulos, & Epicuream probemus ſectam ſequi, aut illum ipſum quem ipſi Philoſophi à ſuo excludunt conſortio, tanquam patronum luxuriæ terribiliorem his eſſe doceamus. Clamat ergo ille, ut Dimanchus aſſerit, Quia non potationes, neque comeſſationes, nec filiorum ſoboles,nec fœminarum copulæ, nec piſcium copia, aliorumq; huiuſmodi quæ ſplendido uſui parantur, conuiuij

ſuauem

ſuauem uitam faciant: ſed ſobria diſputatio. Denique addidit, quòd copijs & conuiuijs moderatè utantur, qui non immoderatè eas quærunt ſucco ſolo,& pane,uel aqua qui libenter utitur, deſpuit deliciarum epulas, quo multæ ex his generantur moleſtiæ. Etiam alibi dicunt, Non immoderatæ epulæ, non potationes uoluptatis, ſuauitatem generant, ſed continens uita. Quum igitur illos abdicauerit Philoſophia, hos non excludit eccleſia. Siquidem & illi quòd malæ cauſæ habent, ſe aſſertionibus ſuis impugnant frequenter. Nam ſi principalis eorum ſententia ſit, quòd nullam ſuauitatem uoluptatis putent, niſi quæ cibo potuq; percipiatur, tamen intelligentes in tam reprehenſibili definitione uerſari ſe ſine ſummo dedecore non poſſe, ac deſeri ab omnibus, fuco quodam probabilium diſputationum ea colorare uoluerunt: adeo ut diceret quidam ex his, Dum ſtudemus delectationi per epulas,& cantus, amiſimus eam quæ per uerbi, quo ſolo ſalui eſſe poſſumus, infunditur perceptionem. Et paulò infra ſubſcribit, Quid igitur iſti ſibi uolunt, qui tentant eos peruertere, quos acquiſiuit Apoſtolus, quos redemit Chriſtus ſanguine ſuo? Quid eſt? quòd aſſerunt baptizatos intendere non debere uirtutum diſciplinis, nihil illis obeſſe comeſſationes, nihil eos uoluptatum affluentiam: inſipientes eſſe eos, qui his careant: uirgines oportere nubere, filios facere: ſimiliter & uiduas iterare, quòd ſemel malè uirili admixtione expertæ ſint: etiam ſi ſe contineri poſſint, errare eas, quæ nolunt iterare copulam. Quid ergo? placet ut hominem exuentes, induamus pecudem & expoliantes CHRISTVM, ueſtiamur aut ſuperueſtiamur amictu diaboli. Sic ille.

LIBELLVS SEXTVS.

Adducuntur pro pſeudoeuangeliſtarum parte quædam rationes ex utriuſque teſtamenti canonibus, ſanctorumq́ doctorum aſſertionibus, quibus probari uidetur, eccleſiæ præcepta & decreta omnino humana eſſe, atque eo peſſundari poſſe, quòd plerunque ab impurioris uitæ hominibus ſpiritus gratiam minimè habentibus emanarint.

QVONIAM uerò ex eccleſiaſticis quum diffinitionibus, tum & præceptionibus complures eo uel maximè humanas adinuentiones pſeudoeuangeliſtæ aſtruere contendunt, quòd impurioris plerunque uitæ, ac (ut aiunt) ſpiritus gratiam minimè habentes, illarum autores fuerint: operæprecium erit & hunc extricare, ſcrupum: Num eccleſiaſtica decreta, quæ uel catholicæ doctrinæ dubia definiunt, uel mores præcipiendo repurgant, purè humana cenſeri poſsint, & debeant: & an illorum uel fidei, uel reuerentiæ conditorum impuritas detrahat: ut tum quum à ſanctis hominibus edita fuerint, diuinitus inſpirata credantur: quum uerò ab improbis, humana præſumptione adinuenta cenſeri debeant. Atqui primario conſiderationis occurſu pleriſque uideri poſſet, has eccleſiæ & definitiuas, & præceptiuas ſanctiones, humanas, non diuinas eſſe. Nempe ab hominibus ipſis editæ ſunt, neque ab ſpiritu Dei medio uſque inſpiratæ uidentur, ſicut ſanctorum Apoſtolorum, & diſcipulorum dogmata. Propter quod Paulus dicebat, quum aliquid ex

ſe dice

ſe dicebat, Sed & puto, quòd ego ſpiritum Dei habeam: quo proculdubio is plenus erat,& crebro illius ducebatur inſpiratione, ut in Apoſtolorum actis plerunque Lucas commemorat. Ob quod Apoſtoli & ſeniores naſcentis eccleſiæ dicebant, Viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis. Et rurſum: Et quum ieiunaſſent, & oraſſent, dixit illis ſpiritus ſanctus. Spiritus igitur tam candida orientis Chriſtianiſmi corda prorſus occupans, hiſce ac terſis, & ſynceris utebatur chartis,ſua in eis deſcribens, & illorum miniſterio alijs relinquens ſalutaria dogmata: ut diui Ioannis Chryſoſtomi haud obſcura huius rei aſſertio legi poteſt. Progrediente uerò tempore (ſubiungit diuus Ioãnes Chryſoſtomus) poſteriores à calle illo detorſere, neque digni fuere hiſce diuinis externis uel internis affatibus. Eamq; ob rem eos ſcriptura ſalutarium documentorum, quæ à CHRISTO & eius Apoſtolis prodierant, eguiſſe affirmat. Vnde inſufflans CHRISTVS in Apoſtolos, & diſcipulos, eccleſiæ futuros duces, eorum ſucceſſores præſignantes ſpiritum ſanctum,declarauit (ſi diuo Cyrillo credamus) neceſſariò illis ſpiritum dandum eſſe,qui ad Apoſtolatum mittantur: cauſam etiam ſubaperit, Non enim potuerunt ea facere quæ Deo placeant, nec peccatorum effugient laqueos, niſi ſuperiorem induti uirtutem ad diuinum animi robur firmentur. Propter quod in ueteri Teſtamento ad quendam dicebatur: Quia ſpiritus in te domini inſiliet & conuerteris in alium uirum, mutari autem uires in ſuſtinentibus Deum Propheta quoq; Eſaias affirmat. Et Paulus ſupra cæteros ſe laboraſſe in Apoſtolatu ſcribens,ſtatim ſubiungit:Non autem ego, ſed gratia Dei quæ mecum eſt. Ad hæc ait appoſitè multum Cyrillus: Non intellexiſſent omnino myſterium Chriſti,nec

Act. cap. 15.

Chryſoſt. ſuper Matth. homil. 1.

Cyril. ſuper Ioan. lib. 12. cap. 56.

1. Reg. cap. 9.

Eſa. cap. 29.

1. ad Corint. cap. 15.

alioqui rectè docuiſſent, niſi per ſpiritum edocti, uel ea quæ mentem hominis excedunt, præciperent. Nullus enim
1. ad Corint. cap 12. poteſt (ut ait Paulus) dicere, Dominus Ieſus, niſi in ſpiri-
Cyril. citato ca. 56. lib. 12. ſuper Ioan. circa fin. tu ſancto. Vnde idem Cyrillus paulò pòſt dicit: Qua igitur ratione diuinæ naturæ dignitatem ac poteſtatem diſcipulis ſuis ſaluator largitus eſt. Quia certè abſurdum non eſt, peccata remitti poſſe ab illis qui ſpiritum ſanctum in ſeipſis habeant. Nam quum ipſi remittunt, aut detinent, ſpiritus qui habitat in eis, per eos remittit, & detinet. Hiſce uel in propatulo eſſe uidetur, & ſcientiam myſteriorum, & enucleationem ænigmatum rectam directionem, clauiũ quoq; operationem ab his tum demum adminiſtris fieri, qui ſpiritum ſanctum in ſeipſis habeant, ut per eos id agere ſpiritus ſanctus, qui habitat in eis, cenſeatur. Sed qui uitæ puritatem, & candorem minimè retinuerunt, eam ſpiritus gratiam habuiſſe haudquaquam cenſeri poſſunt. Quandoquidem (ut ſapiens ait) in animam maleuolam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Vnde & ſcriptam legem per ſyncerum adminiſtrum Moſem Deus populo Iſraëlitico demonſtrare uoluit, & in gratiæ lege CHRISTVS candidos euangelicæ prædicationis adminiſtros elegit. Par nanque fuit, ut diuina precioſaq; mandata à ſanctis annunciarentur uiris. Quo pacto igitur eas uel diuinitatis tantulum præ ſe ferre dicemus conſtitutiones, quæ ab impu-
Geneſ. cap. 6. ris plerunque prodiere autoribus? Vnde in priori lege dominus Deus inquit, Neutiquam permanet ſpiritus meus in his in ſeculum, eo quòd ipſi carnes ſint. Quæ uerba diuus Ioannes Chryſoſtomus explanans ait, in his ſpiritum Dei minimè permanere, qui carnalibus operibus ſe-

ipſos dedunt, & animæ ſubſtantia abutuntur, quales pro-dolor, prohq́; pudor, à multo tempore fuiſſe uidentur eccleſiæ duces complures, multarum conditores ſanctionum: qui quum illis ſpiritus Dei haudquaquam adhæſiſſe uideatur, eccleſiam referre neutiquam cenſeri poſſunt, ut eorum definitiones præceptiones'ue eccleſiaſtica decreta uocitari mereantur. Nempe ut præclarè ad eam ſententiam diuus Irenæus ait, Vbi ſpiritus Dei, ibi eccleſia: & ubi eccleſia, ibi ſpiritus Dei. Vnde pijſsimus ſaluator in euangelio paracletum eccleſiæ directorem promittens, ait: Spiritum ueritatis quem mundus non poteſt accipere. Hiſce uerbis prænuncians, Spiritum, cuius ductu eccleſia regeretur, ueritatis doctorem, cum hiſce minimè futurum eſſe, qui in mundo uiuerent: ſed cum uiris ſpiritalibus à mundanis omnino ſeiunctis affectibus. Propter quod Paulus clamat ad Corinthios ſcribens, Animalis autem homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei. Quid animalem uocat hominem Paulus, niſi hominem externum, mundanum, ſecundum corporis illecebras, & non ſecundum ſpiritum Dei uiuentem. Et iterum diuus Petrus ait, quòd ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Sanctos igitur homines ſancti ſpiritus inſpirationem habuiſſe, non malos, & peruerſos, Petrus eccleſiæ uertex aſſerit. Hi nempe uitæ impurioris homines in lege ſpiritali Prophetæ uidentur, de quibus per Hieremiam Deus prænunciauit, Nolite audire uerba Prophetarum, qui prophetant uobis, & decipiunt uos: uiſionem cordis ſui loquuntur, & non de ore domini. Horum dogmata, & mandata Paulus ad Coloſſenſes ſcribens (licet ſapientiæ rationem habere uideantur, in ſuperſtitione, & humilitate) præcepta & doctrinas hominum uocare uidetur, quibus

Iren. lib. 3. aduerſ. omn. hæreſ. ca. 40.

minimè credendum ſit. Sed num diui Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus aſtruere uidentur ad illos tantum clauium poteſtatem eſſe deriuatam, qui Petri & aliorum Apoſtolorum in uita & doctrina imitatores ſunt, & quantum clauem ſcientiæ & myſteriorum attinet diuus Cyrillus attemperatiſsimè ad hanc ſententiam, eamipſam multo tempore eccleſiæ adminiſtris & doctoribus defuiſſe aſſerere uidetur: quòd illorum maior pars impurioris uitæ fuerint, & humanis potius rationibus quàm ſcripturę autoritate uſi: infit enim: Non enim illis qui temeraria inueſtigatione, humaniſq; potius rationibus quàm autoritate ſcripturæ gaudent gratia ſpiritus, quippe quæ in animam malignam non ingreditur, nec precioſiſsimas gemmas ſuas in pecorum inuolui pedibus patitur, ſed ſimplicioribus ueritatem infundit mentibus, quæ cauillationibus nullis ſtudentes, non parua cum ueneratione dexterum atque regium iter ſequuntur. Sic ille. Hiſce profectò taxare uidetur noſtri ſeculi, prohdolor, & prælatos, & doctores. Multo plura in hanc uidentur conſpirare ſententiam, quæ conſultò, ne plus æquo ueritati aduerſantibus ſuppetias attuliſſe uideamur, prætermittimus.

Eccleſiæ præceptiones ac decreta perperam purè humana cenſeri, quinimo potius uelut penè diuina, latioriq́ notione Euangelica, reuerenda, colendaq́ eſſe.

VErùm more ſuo pleno (ut aiunt) ſole qui hæc aſſerunt, caligant, apprimeq; cæcutiunt. Quandoquidem eccleſiæ definitiones ſimul & præceptiones humanas adinuentiones, qui ſacrorum cenſura canonum uel leuiuſcula ſibi conſtabit, autumabit nemo: ſed has potius ampliori quadam notione, ex ſacræ ſententia ſcripturæ euangelicas

gelicas ac diuinas potius, quàm humanas arbitrari poterit. Petro nanque Apoſtolorum uertici reſtitit in faciem Paulus, ut ipſe ad Galatas ſcribens recenſet quòd ad ueritatem euangelij non ambularet, dum à gentilium cœtu, & conuictu, propter quorundam aduenientium Iudæorum ſuſpicionem, ſe ſegregaſſet: cui Paulus ait, Quare quum tu Iudæus ſis, gentes cogis iudaizare? Hæc autem ueritas, quam Paulus euangelicam dicit, & ſecundum quam non ambulantem Petrum reprehendit, euangelico conſcripta canone offendetur nuſquam. Sed quum eius rei, obſeruationis ſcilicet legalium, inter quoſdam contentio orta eſſet, ad Apoſtolos, & ſeniores qui tum erant in Hieruſalem definienda refertur. Quos & ob eam cauſam rurſus pòſt quatuordecim annos Paulus inuiſere uoluit, atque naſcentis decreto eccleſiæ, legalia (ceu ſeruilia) libertatis lege à Chriſtianorum ceruicibus excuſſa, definitum fuit, ac aduerſus hanc definitam per orientis conſilium Chriſtianiſmi ueritatem (quam euangelicam Paulus aſſerit) Petrus agens, à Paulo reprehenditur. Hincq; uel facilè confici poteſt, eccleſiæ definitiones non ſecus ac euangelicas ueritates uenerandas, colendasq; eſſe. Nempe eccleſiæ à ſuis relatæ adminiſtris nec nunc quam tunc minor eſt autoritas. Illa nanque (ut prædiſſeruimus) à CHRISTO aſsiſtente, ſanctoq; paracleto eam dirigente omnino pendet. Huic uerò quum præſentiam, tum & perpetuam inſpirationem in euangelio CHRISTVS ad ſeculi conſummationem uſque manifeſtè promittit, dicens: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Et rurſum: Rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, qui maneat uobiſcum inæternum. Sed & mobilem ad facilius ſalutis obſeruandam uiam, præ-

Ad Galat. cap. 2.

Matth. cap. ultimo.

Ioan. cap. 14.

Act. cap. 15. ceptionem Apoſtoli & ſeniores dantes aiunt, Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil ultra uobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria: abſtinere ſcilicet, &c. ſpiritui ſancto inſpiranti & edocenti & ſibi ac adminiſtris, quæ ſpiritus inſinuabat, loquentibus, præceptionem abſtinentiæ à quibuſdam cibis, alioqui euangelica lege permiſsis, hiſce uerbis adſcribentes. Quum igitur ad ſeculi conſummationem uſque ſecundum ſuam promiſsionem Christus cum ſuæ ſponſæ ducibus ſemper ſit, quibuſcum & paracletus inæternum manet, nec poſteriore ſtatu eccleſia autoritate decreuit, nec minus nunc, quantum CHRISTO chara eſt, eius adminiſtrorum pręceptiones, qui eamipſam quodam adminiſterij typo referunt, non purè humanas, ſed ſancti ſpiritus inſpiratione, & loquentium hominum miniſterio enunciatas ſanctiones arbitrari debemus: ut nec omnino eaſipſas diuinas cenſeamus, nec prorſus humanas: ſed diuina inſinuatione, humano miniſterio latas.
Act. cap. 15. Sed num & Paulus, electo Sylla, profectus perambulabat Syriam & Siciliam confirmans eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum. Et de eodem
Act. cap. 16. rurſum Paulo, & Timotheo. Quum autem pertranſirent ciuitates tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis. Præco fuit Paulus euangelicæ ueritatis, ac ubique (ut ſtatim ſubiungemus) quicquid prædicat euangelium uocat. Iure igitur præcepta & Apoſtolorum decreta, quæ Paulus non ſecus ac euangelium prædicabat, uelut euangelica reuerebitur, & colet, & obſeruabit Chriſtiano inſignitus charactere: haudq; abſimili ratione in poſterioris præceptis, decretiſq; eccleſiæ cenſendum eſt: quum illa à ſuis relata adminiſtris (ut prædiximus) eadem ſibi ſemper au-

toritate conſtiterit, nec poteſtatis quiddam illi deceſsit. Vnde Paulus Timotheum monens, ait: Secundum (inquit) euangelium meum. Et rurſum ad Galatas ſcribens, Et contuli cum illis euangelium, quod prædico. Quæ dicit, quæ aſſerit, quæ annunciat, euangelium eſſe dicit, quum interea pleraque prædicaret, de quibus edicebat ſe non habere præceptum à domino: Sed puto (inquit) quòd ego ſpiritum Dei habeam. Inſinuata ab Dei ſpiritu eccleſiæ rectore, & à ſe annunciata, eadem euangelij nomenclatura dignabatur. Sed quot profectò ad Corinthios, & alios ſcribit, quorum quatuor euangeliſtarum meminerit nemo? De his tamen Corinthios alloquens ait, Si quis uidetur Propheta eſſe, aut ſpiritalis, cognoſcat quæ ſcribo uobis, quòd domini ſunt mandata. Spiritalem uirum ſcilicet ſpiritus habentem gratiam aſſerit Paulus, quę ipſe inſinuante ſpiritu ſcribebat (licet fortaſſe à Chriſto ipſo, dum in terris ageret, minimè dicta fuiſſent) domini, & non hominis mandata eſſe, & cognoſcere, & arbitrari. Et rurſum idem ad Theſſalonicenſes ait: Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſsione. Quoniam quum accepiſſetis à nobis uerbum auditus Dei, accepiſtis illud non, in uerbo hominum, ſed ſicut eſt uerè uerbum Dei. Verba proinde ſua Paulus naſcentis eccleſiæ Apoſtolus, & adminiſter uera uerba Dei eſſe aſſerit, quum tamen & complura ad Theſſalonicenſes ipſos, tum & ad alios ſcribat, quæ conſcriptis haudquaquam euãgelijs offendi poſſunt: & de quibus interdum idem ait, ut præfati ſumus, ſe à domino minimè præceptum habere. Sed putare ſeſe Dei ſpiritum habere, hæc ipſa quæ diceret ab illo ſcilicet inſinuari. Atqui ſpiritus qui Paulo ad communis corporis ædificationem datus erat, non Paulo & cæteris Apo-

2. ad Timot. cap. 2.

Ad Galat. cap. 2.

1. ad Corint. cap. 14.

ſtolis ſolis affulſit, & cum illis eius defuit gratia. Paulus nempe ad Romanos clamat, primitias nos ſpiritus habentes. Continuum proinde progreſſum huiuſce ſpiritus eccleſiæ directoris in omnes poſteros nuncians. Habuerunt quippe pleniore ac perfectiori quantũ ad uirtutum oſtenſionem mundo Apoſtoli, & diſcipuli, manet tamen iuxta CHRISTI promiſsionem cum eccleſia, eiusq; adminiſtris uſque ad ſeculi conſummationem. Eam ob rem deſipiunt admodum, qui eccleſiæ definitiones, & præceptiones uelut humanas adinuentiones peſſundant & amoliuntur, cùm ampliori quadam notione euangelicæ dici cenſeriq; poſſint. Cuius planè ſententiæ inter priſcos ſanctæ eccleſiæ doctores fuere eximiæ autoritatis uiri diui Cyprianus, & Chryſoſtomus. Cyprianus nempe ait: Nam baptiſmum repeti eccleſiaſticæ prohibent regulæ, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere. Nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renouat: nemo ſacro oleo lita iterum linit aut conſecrat: nemo impoſitioni manuum, uel miniſterijs derogat ſacerdotum: Quia contumelia eſſet ſpirituſſancti, ſi euacuari poſſet, quod ille ſanctificat, uel aliena ſanctificatio emendaret, quod ille ſemel ſtatuit, & confirmat. Ipſe ſummus ſacerdos ſui eſt ſacramenti inſtitutor, & autor: in cæteris hominès ſpiritum ſanctum habuere doctorem: & ſicut par eſt ſpiritui ſancto, & Chriſto diuinitas, ita & in ſuis inſtitutis æqua eſt autoritas & poteſtas: nec minus ratum eſt quod dictante ſpiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, quàm quòd ipſe tradidit, & in ſui commemorationem fieri præcepit. Manet ſingulis propria dignitas, & uniformis in ſuo genere ſtat actio omnium. Sic ille: Cenſens proinde & eccleſiaſticorum adminiſteriorum, & Chriſtianæ diſciplinæ

Cypr. in ſermo. de ablutio ped.

ſciplinæ complura à Chriſto dum in terris ageret, expreſſim minimè inſtituta: demum ab hominibus ſuæ ſponſæ adminiſtris promiſſo paracleto inſtructore, & directore ſalubriter prodijſſe: quibus haud impar reuerentia quàm euangelicis monitis & præceptis debeatur, quòd eadem ſit doctrina, nec diſpar cenſeatur autoritas. In quam planè ſententiam accedens Chryſoſtomus, ea Chriſti apud Ioannem explanans uerba. Spirituſſanctus, quem mittet pater in nomine meo, &c. neque ex ſeipſo loquetur, ſed de me accipiet: inquit, hiſce palam fieri uerbis, eandem cenſeri doctrinam, quæ ſpiritu ſancto inſtructore ab hominibus emanaret, cum ea quam CHRISTVS docuerat, quam euangelium uocamus: utriuſque nempe eundem eſſe magiſtrum, & doctorem. Quum una (ſubiungit) ſit patris, & filij, & ſpirituſſancti uoluntas. Idcirco quæ ab eccleſiæ adminiſtris inſinuante ſpiritu ſancto Chriſtiani gregis, eiuſq; paſtorum perpetuo directore emanarunt præceptiones, & definitiones, euangelicæ cenſeri poſſunt, & debent: & ſub euangelicæ nomenclatura doctrinæ quadam (ut præfati ſumus) latiori notione cõtineri uidentur.

Chryſoſt. ſuper illud Ioãnis 16. ſpirituſſanctus quẽ mittet pater, &c.

Non minus ſacris eccleſiæ decretis & mandatis reuerentiæ deberi, quòd forte ex illis quædam ab hominibus impurioris uitæ prodierint, maliſq; adminiſtris et dum iniuncto defunguntur munere, ſpiritus adeſſe gratiam (quæ ad corporis ædificationem datur, & officio potius quàm perſonæ ineſt) credendum eſſe, ex utriuſque inſtrumenti compluribus præclaris teſtimonijs oſtenditur.

HVic profectò haudquaquam ſententiæ aduerſatur, uel potiſsimum pſeudoeuangeliſtarum argumentum, dum aiunt, ex eccleſiaſticis ſanctionibus pleraſque ab

hiſce editas fuiſſe præpoſitis, quibus Chriſtianæ candore uitæ deficiente ſpiritus inſinuantis gratia affulſiſſe minimè uideatur: nec improborum menti paſtorum ſpiritumſanctum Chriſtiani pabula gregis ſuggeſsiſſe credi poſſe. In quo hercle non mediocriter more ſuo noui hi ac impudentes magiſtri deſipiunt, & allucinantur. Tametſi enim præcipua diuinæ ſalutis autoramenta per candidos exhibere adminiſtros Deus optimus, maximusq; uoluerit, nihilo tamen ſecius quæ ſalutaria, ac in eum credentem populum dirigebant, per impurioris uitæ homines diuinum gerentes adminiſterium plerunque annunciauit, & inſinuauit. Quod ut clarius cuique pateat, à naturæ lege exordiemur. Abrahæ quippe qui cordis mundicia, ac operoſa fide Deum in hoſpitio recipere meruerat, ob eximiam illius iuſtitiam (credidit enim Deo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam) promiſit Deus ſalutis autorem ex eius femore deſcenſurum. Magnum ſiquidem & præcipuum hoc ſalutis, & Chriſtianæ futuræ redemptionis myſterium, candido, & ſancto uiro annunciatur & promittitur. Atque eum ore ad os propter uitæ ſanctitatem Deus alloqui dignatur. Veruntamen & in naturæ lege Lamech, licet nulla ſingulari uirtute præditus, mirabilia prænunciauit: de quo diuus Ioannes Chryſoſtomus ait, Vnde Lamech hoc habuit, ut tantum uaticinium prædiceret? Non enim meminerit ſcriptura, quòd multa claruerit uirtute admirabilis: ne mireris dilecte, dominus enim noſter ſapiens, & omnipotens, & per indignos ſæpe concedit prædici magnas mirabilesq; res. Sed & num per infideles Abrahæ parentes futura quædam diuini miniſterij Deus reuelare uoluit? Quod explanans diuus Ioannes Chryſoſtomus ait, Iam fortaſſe dixerit quiſpiam, Quum parentes eius

Chryſoſt. homil. 20.

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 39.

eius infideles fuerint,unde illa ſcientia?ut eum multo tempore poſtea futurum nomine complecterentur. Sed eſt etiam hoc omnipotentis ſapientiæ Dei argumentum, quæ ſepenumero per infideles huiuſmodi res diſpenſat,& multa ſimilia inuenimus etiam in alijs facta. Statim enim occurrit nobis & Noe uocabulum.Neque enim abſq; cauſa: & in uanum etiam huic nomen indiderunt parentes. Sed præſignarunt ſubſecuturum diluuium. Enimuero & pater huius non ideo puero nomen indidit, quòd ipſe iuſtus eſſet. Audi ſcripturam dicentem. Noe ſolus inuentus eſt iuſtus, perfectus in generatione iſta. Neque obticuiſſet ſcriptura, neque dixiſſet, Noe ſolus iuſtus erat, ſi & Lamech pater eius uirtutem iuſti fuiſſet imitatus.& ſequitur. Vnde illi eſſet præſcientia eorum, quæ pòſt tot ſecula erant euentura:dicit enim, Vocabitur Noe, hic nos quieſcere faciet.Vidiſti quomodo & per incredulos multa ſæpe præſignari facit. Sic ille. Et rurſum idem:Eſt (inquit) hoc diuinæ miſericordiæ, futura per fideles dicere. Sed magis ad rem ipſam appoſitè idem Chryſoſtomus explicans illud Geneſeos, Dixit autem Rebeca, ſi ſic fututum erat, &c. Cucurrit (ait) Rebeca ad ueram ſcientiam, & feſtinauit ad ſacerdotem Dei miniſtrum, per quem latentium ſcientiam uolebat diſcere, & enarrans omnia, quæ ſibi contigerant. Didicit autem omnia diligenter, miſericorde Deo per ſacerdotis linguam detegente ei omnia manifeſtè,& alacriorem eam reddente. Et ſubiungit: Et uide,quãta tunc erat ſacerdotum dignitas:nuſquam enim dicit, quòd ſacerdos ei reſponderit: ſed poſtquam dixit, Abijt,ut conſuleret dominum: & dixit dominus ei, nempe per ſacerdotem, Duæ gentes in utero tuo. Etenim & alio loco Angelum uocat ſacerdotem diuina ſcriptura: monſt

Chryſoſt.ſuper Gen.homil.34.

Idem Chryſoſt.ſuper Geneſ.hom.49.

Gen. cap.25.

monſtrans (inquit) quòd illa loquatur, quæ inſpirat ac ſuggerit ſpiritus gratia. De eo tamen ſacerdote minimè ſacer explicat textus, quòd aliqua præditus ſingulari uirtute, hanc pro munere futuram habuerit prædictionem. Sed hoc ipſum efficiebat tum in naturæ lege ſola ſacerdotalis dignitas, ut & ſacerdotum reſponſa diuina cenſerentur, ac per illos ſpiritusſanctus loqueretur. Idem profectò & in ſcripta lege plenius conſpicere licet. Tametſi enim candidum ſuæ legis adminiſtrum Moſem Deus elegerit, progrediente tamen tempore & per impuros homines, propter id quod gerunt officium, Deus loquitur. Balaan nanque Propheta malus, uitaq; impurus, ob id quod obibat munus propheticum non quæ uult, ſed quæ optimus omnium creator in eius ore ſpeciali munere ponit, uerba loquitur. Benedixit (inquit ſacer textus) populo, dicens Regi Balac, Non poſſum aliud loqui, niſi quod iuſſerit dominus. Et paulò infra: Cui quum dominus occurriſſet, poſuit uerbum in ore eius. Et rurſus idem Balaan: Si dederit mihi Balac plenam domum argenti, & auri, non potero præterire ſermonem Dei mei, uel ut boni quid, uel mali proferam ex ore meo. Sed quicquid Deus dederit, hoc loquar. Non profectò permiſit diuina bonitas peruerſæ uoluntatis uirum prophetico abuti munere, & quam ad ſui populi ædificationem acceperat gratiam, in eius conuertere perniciem: cui & contraniti uolenti, benedictionis omnium creator infundit uerba: ut tunc rectè ſuſcepto adminiſterio, quum abuti uellet, defungeretur. Saul quoque pòſt adeptum regnum in Prophetarum cuneum allectus, peruerſus alioqui, & qui malo plerunque uexabatur ſpiritu, dum cum Prophetis hoc muneris agentibus conuenit, ſecũdum ſpiritum domini prophetat:

Nume. ca. 23. *Num. ca. 24.* *1. Reg. ca. 19.*

phetat: non illi peruerſi mores, non inquinata uoluntas, dati prophetici adminiſterij ad populi ædificationem gratiam præripiunt: non malus, quo diuexabatur, ſpiritus hanc populo ſalutarem functionem interturbare potuit. Sed quid? & diuum Ioannem in euangelio de ſacerdotale obeunte munus loquentem audiamus, quæſo, attentiori aure. de Caypha enim huic ſententiæ attemperatiſsimè ait, Hoc autem à ſeipſo non dixit: ſed quum eſſet pontifex anni illius prædixit, quòd moriturus eſſet Ieſus, non ſolùm pro populo, ſed ut gentes diſperſas congregaret in unum. Malus, & peruerſus admodum ſacerdos erat Cayphas: tamen quia anni illius pontifex eſſet, eum prophetaſſe aſſerit diuus Ioannes. Non igitur ex munere prodeuntem ſacerdotali gratiam ad populi ædificationem datam, uitę improbitas, uel degenerę tollunt mores. Quod Chriſtus irrefragabili autoramento in euangelio declarat: de Scribis nanque, & Iudæorum loquens ſacerdotibus, quos ſepenumero ac malos, peruerſosq; apprime arguebat, & obiurgabat, ait: Sederunt in cathedra Moyſi *Matt. ca.23.* Scribæ & Phariſæi: quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Sceleratam priſcæ legis adminiſtrorum uitam Chriſtus prorſus uitio uertens, non ob id eorum uerba, uel doctrinam contemnendam: ſed ſacerdotum, etſi illis uitæ candor deficiat, dicto audiendum eſſe, ac reuerenter quæ præcipiunt, exequenda cenſet & iubet. Hiſce cuique admodum conſpicuè patere exiſtimo, & priſci inſtrumenti umbratilibus typiciſq; ſacerdotibus, ac Prophetis, & ſi uitæ deficerent candore, nihiloſecius quia hoc muneris rectè explerent, minimè ablatam, ſed præſentaneam fuiſſe gratiam, quæ & non minori autoramento in gratiæ lege conſtare uidentur. Chriſtus nanque & ſi can-

didos ſui euangelij præcones delegerit, in euangelio tamen ait, Multi dicent mihi in illa die, Domine, domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, nunquam noui uos: diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Prophetiam Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, & ſpiritalem complecti interpretationem intelligit, eam proinde ſimul & multarum uirtutum operationem in Chriſti nomine etiam malos, & peruerſos adminiſtros qui iniquitatem operantur, habere poſſe euangelica nobis admodum dilucidè refert lectio. Et rurſum apud Lucam Ioannes Apoſtolus ad CHRISTVM ait, Præceptor, uidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum. Et ait ad illos Ieſus: Nolite prohibere: qui enim non eſt aduerſum uos, pro uobis eſt. Quibus planè uerbis uel luculenter declaratur in Chriſti nomine etiam ab eiſipſis qui eum bonis haudquaquam operibus ſequuntur uirtutes fieri poſſe. Hoc ipſum etiam declarat diuus Paulus ad Philippenſes ſcribens, Quidam quidem & propter inuidiam, & contentionem: quidam & propter bonam uoluntatem CHRISTVM prædicant: quidam autem ex contentione Chriſtum annunciant, non ſyncerè: exiſtimantes ſe ſuſcitare preſſuram uinculis meis. Et ſubiungit paulò pòſt, Dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per ueritatem Chriſtus annunciatur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Ecce Paulum aſſerere Chriſtum, & eius euangelium per inuidiam, & contentionem, & ſic citra charitatem annunciari poſſe, ſeq; gaudere ea enunciatione CHRISTI, & eius euangelij, quæ non ſyncerè, ſed per æmulationem fieret. Licet idem Paulus ad

Matt. cap. 7.

Luc. cap. 9.

Corint

Corinthios ſcribens dixerit, Nemo poteſt dicere Chriſtus Ieſus, niſi in ſpirituſſancto. Illius proinde gratiam etiam malam habenti uoluntatem charitate deficientem, ad uerbum Dei enunciandum adeſſe poſſe hiſce uerbis aſſeuerat. Hoc quoque & apertius idem Paulus explanaſſe uidetur, dum ad Corinthios ſcribens ait: Si habuero omnem prophetiã,& nouerim myſteria omnia,& omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Prophetiæ proinde & interpretationis ſpiritalis myſteriorum omnium doctrinæ,omnigençq; pro directione ſcientiæ chariſma ſine charitate haberi poſſe aſſeuerat. Sicq; & malis ac improbis adminiſtris & eam gratię legis prophetiam ſpiritalemq; interpretationem myſteriorum notionem ſcientiam etiam ineſſe poſſe hiſce uerbis palam aſſerit, ut ea explanando uerba diui Athanaſius, & Ambroſius affirmant. Sed quid? Num idem Apoſtolus gratiarum & chariſmatum diuiſionem explicans ait, Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem,id eſt,corporis ædificationem,ut ipſe ad eoſdem Corinthios ſcribens explanat inquiens, Nam maior eſt, qui prophetat,quàm qui loquitur linguis, niſi interpretetur, ut eccleſia ædificationem accipiat. Et rurſum: Sic & uos, quoniam æmulatores eſtis ſpirituum ad ædificationem eccleſiæ,Quærite ut abundetis. Declarans proinde quod antea dixerat, unicuique ſpiritus manifeſtationem dari ad utilitatem,id eſt,ad corporis eccleſiæ ædificationem. Et ſubiungit: Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu. Citra igitur & fidei gratiam, id eſt, uirtutem quæ miracula operetur, uel etiam ſaluum

1. ad Corint. cap. 13.

1. ad Corint. cap. 12.

1. ad Corint. cap. 14.

faciat: non tamen ſine fide, ſaltem informi, ineſſe poſſe ſermonem ſalutaris ſapientiæ, ſermoné item diuinæ ſcientiæ, manifeſtè aſtruit. Hæcq; chariſmata dari, & diſtribui ad corporis communis utilitatem & ædificationem. Ob quod nimirum, ſi gratia diuinæ ſcientiæ euangelicæ prophetiæ, illuminationis ac directionis, & malis ſacerdotibus ineſſe poſsit. Quippe quæ cohereat (ut ſubiungemus) potius officio, quàm perſonarum merito. Vnde ſi in lege ſcripta muneri prophetico uel ſacerdotali quo mali impuriorisq; uitæ homines fungebantur, nec diuina ad hoc muneris explendum quod ad populi directionem obibant, minimè defuerit gratia: quin & quæ eius functionis erant, rectè implerent & exequerentur: quanto magis in gratiæ lege gratia hæc ſacerdotali paſtoraliq; dignitati, & officio ineſſe credi debet. Nempe in priſca lege typicum & figuratiuum ſacerdotium, ſed in gratiæ lege uerum, & ſpiritale adminiſterium: ut inter hæc ſacerdotia tantum intereſſe uideatur, quantum inter umbram & ueritatem. Eam ob rem quum inhærens officio, & dignitati umbratili pro aliorum directione gratia propter adminiſtrorum impuritatem minimè ablata fuerit: quanto minus ueris noui Teſtamenti adminiſtris deeſſe credi poteſt, etſi uitæ merito uacent. Propter quod diuus Petrus

1. Pet. cap. 1. ait, Dei ſpiritum Prophetas loqui feciſſe, non ſibijpſis, ſed alijs annunciare ueritatem: munus hoc propheticum non propter eum qui habet, ſed ad aliorum ædificationem, & inſtructionem datum eſſe declarans.

Multorum ſacrorum doctorum clariſſimis ſententijs & aſſertionibus peramplius approbatur, malos & peruerſos eccleſiæ adminiſtros dum iniuncti muneris officium

perag

peragunt, præcipiendo, definiendo, uel docendo, ſancti ſpiritus eccleſiæ rectoris gratia dirigi: ne commiſſis ouibus pro pabulo toxicum afferant: atque hoc chariſma ad corporis ædificationem datum, potius dignitati, & adminiſterio, quàm perſonæ ineſſe.

IN hanc dilucidè ſententiam præcipui, & antiquiores eccleſiæ doctores eodem tenore conſpirant. Nempe diuus Cyprianus, glorioſus ille martyr ait, Scribæ (inquit) & Phariſæi in cathedra Moſi ſedentes, dum agunt, quæ ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine poteſtatis utuntur: & officium, non uita tantis effectibus honoratur. Et rurſum idem: Hoc (inquit) priuilegium ſacerdotum, non eſt meritis eorum datum. Et propriè ſubiungit: Sibi omnipotentia Dei retinet hunc effectum, ne ulla præſumptio doni huius in poſterum ſibi gloriam uendicaret. Sic ille. Nempe ſi propter perſonarum merita hoc ſacerdotalis implere muneris daretur, dirigere ſcilicet, purgare ac unitatem corporis retinere, incauti complures proprijs meritis doni Dei gloriam uendicarent. Ob quod idem Cyprianus magis appoſitè ad hanc rem ait: Obediunt dæmones exorciſtis: Chriſtum (inquiunt) ſcimus, & Paulum nouimus, & in nomine CHRISTI, quem Paulus prædicat, adiurati egredimur: uos autem pœnitus ignoramus. Ecce (inquit) in nomine ſuo nihil quæſtuarij peragunt exorciſtæ, nec ſe eis deferre, ipſi dæmones profitentur: ſed nomen Chriſti etiam per lucrorum ſectatores ſuæ gloriæ retinet poteſtatem. Et fiunt in talibus cauſis miniſtri mercennarij, ſicut naues onerariæ, quæ per pelagus euehunt inſtitores: quarum rectores potius eorum quos ducunt pecunijs inhiant, quàm ſaluti. Et tamen

Cypr. in ſermo. de Chriſti baptiſ. & manifeſt. trinita.

Cyp. in eo ſermo. de Chriſti baptiſ.

Cypr. in eod. ſermo.

more ſeculi huius neceſſarios habet huiuſmodi tranſuectores, alioqui ceſſabunt commercia. Nec ex tranſmarinorum copiá aliorum inopia habebit ſubſidium, nec occurrent ſibi ſolatia regionum, ſi uehicula tollãtur de imo, & pelagus immeabile relinquatur. Bonis quippe ſæpe malorum miniſteria ſuffragantur. Sic ille. Quibus admodùm luculentèr eorum diuus Cyprianus ſententiæ præiudicat, qui propter corruptos, & quæſtuarios ſacerdotum mores, illorum adminiſteria peſſundãtes exufflant. Quum non ob id per eoſipſos quæ ſuæ directioni eccleſiæ conducunt, minus CHRISTVS impleat. Huic planè etiamnum opinioni aſtipulantur citatæ diui Ioannis Chryſoſtomi autoritates, qui & quum Lamech uaticinium, & prædictionem explanauit, eam comprobando ſubiunxit, per indignos ſæpe prædici magnas, mirabileſq; res. Id quod non in ueteri ſolùm, ſed & in nouo Teſtamento uidere quis poterit, Audi enim (inquit) euangeliſtam de Caypha Iudæorum pontifice dicentem: Hæc autem à ſeipſo non dixit, &c. Inuenies item & à Balaan tale quid factum: uocatus enim ut malediceret populum, non ſolùm non maledixit, ſed & prædixit multas miraſq; res, tam de aduentu ſaluatoris noſtri, quàm de populo. Non igitur mireris, ſi etiam nunc ita audias: ſed Deo totum tribue, qui per omnipotentem ſuam ſapientiam omnia miniſtrat. Sic ille. Et multo luculentius id firmat magnus ille Baſilius, inquiens: Si memores ſumus domini inquientis, Faciunt enim omnia, ut uideantur ab omnibus. Sed & illud illis dicentibus (quid reſpondit) Domine, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in tuo nomine uirtutes multas fecimus? quum ait ad illos, Neſcio uos, unde ſitis. Non quia mentiti ſunt, ſed quia Dei gratia abuſi

Chryſoſt. ſuper Geneſ. homil. 20.

ſunt

ſunt ad proprias uoluntates, quod utique alienum eſt à charitate Dei. Si ergo horum meminerimus, facilè aduertimus quæ dicta ſunt per Apoſtolum, ſcilicet ſine charitate tantam fidem haberi poſſe ut montes transferantur. Et ſubiungit multum appoſitè ad hanc rem, Quod autem gratiam Dei, uel donum, etiam indigni accipiant, non eſt nouum, aut mirum. Deus enim & in tempore hoc benignitatis & patientiæ etiam ſolem oriri iubet ſuper bonos & malos, interdum etiam ad profectum eorum qui apud infideles ſunt, etiam gloria eius multiplicatur, ſecundum quod dicit Apoſtolus, Quia quidam per inuidiam, & contentionem, quidam autem propter bonam uoluntatem, CHRISTVM annunciant. Et addidit dicens: Veruntamen omnino ſiue occaſione ſiue uoluntate annuncietur Chriſtus, in hoc ergo gaudeo. Sic ille. In eandem planè conſpirat ſententiam diuus Cyrillus, ea diui Ioannis Apoſtoli in euangelio uerba, Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed quum eſſet pontifex anni illius, explanans: Cur autem (inquit) Cayphas potius, quàm alij prophetauerit, & uerba futurorum prænuncia dixerit, aſsignat euangeliſta rationem: Quia erat pontifex anni illius. Et ſubiungit: Magna planè eſt pontificalis poteſtatis uirtus: quum enim pontifex eſſet, licet indignus, prophetauit: neſcius tamen quid diceret, & os tantum gratia ſpiritus, non autem ſceleſtum cor attigit. Idcirco non ſimpliciter, ſed quo ad hoc Propheta Cayphas dici poteſt, quum in litera prophetaſſe dicatur, id eſt, uerbum protuliſſe propheticum: quanquam idipſum uerbum in prophetico ſenſu minimè intellexit. Non enim ad Prophetæ rationem id ſemper exigitur, & neceſſarium eſt, ut quæ futura denunciat, & intelligat: habuit enim Daniel complures uiſiones, &

prophet

propheticas protulit denunciationes, quas primo non intellexit. Sed eorum intelligentiam poſtea ab Angelo eſt edoctus, & tamen prophetici nominis rationem ſimul & denominationem proinde non depeꝛdidit. Neque idcirco quis rectè negauerit Caypham hic fuiſſe Prophetam, quia prauus fuerit, & iniquus: Nam & Baal nepharius erat, & tamen inter Prophetas connumeratur. Et dominus noſter de extremi iudicij die loquens, inquit: Multi dicent mihi in illa die, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? & dæmonia eiecimus? & ſigna multa fecimus? Et tunc confitebor illis,quia neſcio uos. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.Hæc ille.Huic ſanè etiam opinioni conuenit diuus Ambroſius, Apoſtoli ad Corinthios uerba, Et ſi habuero omnem prophetiam, explicans,ſpiritalem interpretationem, myſteriorum notionem, omnemq; pro gregis directione ſcientiam & malis, & peruerſis ſacerdotibus ad aliorum ædificationem eſſe poſſe aſſerit: & adducit exempla Balaan, & Cayphæ. In eandem quoque opinionem manifeſtè accedit diuus Hieronymus inquiens, quòd filij Scæuæ uidebantur eijcere dæmonia,& Iudas Apoſtolus cum animo proditoris multa ſigna inter cæteros feciſſe narratur. Et ſubiungit,Prophetare, & uirtutes facere, & dæmonia eijcere, interdum non eius meriti eſt,qui operatur, ſed uel inuocatione nominis Chriſti hoc agit, uel ob condemnationem eorum qui inuocant, uel ob utilitatem eorum qui uident & audiunt conceditur: ut licet homines deſpiciant ſigna facientes, tamen Deum honorant, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Nam (ſubiungit) & Saul,& Balaan, & Cayphas,prophetauerunt,neſcientes quid dicerent: & Pharao, & Nabuchodonoſor ſomnijs futura cognoſcunt. Sic

Hiero. ſuper Matt. cap. 7. in uer. multi dicent.

Sic ille. Sed & rurſum, & magis attemperatè ad rem de qua agitur ait, Quod epiſcopus, presbyter, & diaconus, non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum. Quo clarè intelligi datur, poteſtatem epiſcopis & presbyteris conceſſam, non perſonæ meritis, ſed officio, & munere quod gerunt, ineſſe. Huic quoque ſententiæ apertiſsimè Auguſtinus aſſentit: de Saul nanque, Balaan, & Caypha loquens ait: Quoniam ſpirituſſancti uerba non dicentium merita penſant, ſed ipſius uoluntate ubicunque uoluerit proferuntur: per quod tamen proferentium ea merita non in melius augentur, ſed bona non habent opera, ſicut in Balaan, & Saul, & Caypha pontifice. Vnde tales Prophetæ in iudicio dicent, Nónne in tuo nomine prophetauimus? damnati domino reſpondebunt, & tamen æterni ignis conſortium inter cæteros impios ſubibunt. Hæc ille. Et rurſum idem: Quanta ſit dignitas ordinis ſacerdotalis hinc aduertamus: dictum eſt enim de nequiſsimo Caypha interfectore ſaluatoris inter cætera: Hæc autem à ſeipſo non dixit, ſed quum eſſet pontifex anni illius prophetauit. Propter quod oſtenditur ſpiritum gratiarum non perſonam ſequi digni uel indigni, ſed ordinationem traditionis: ut quamuis aliquis boni meriti ſit, non tamen poſsit benedicere, niſi fuerit ordinatus, ut officium miniſterij exhibeat. Dei autem eſt effectum tribuere benedictionis. Vnde Iſaac non quem uoluit, ſed quem noluit, benedixit. Voluit quippe Eſau benedicere, ſed non eſt permiſſus illum benedicere: ſed Iacob quem Deus uoluit benedixit. Hoc etiam confirmat diuus Auguſtinus, ad Bonifacium epiſcopum ſcribens dum ait: Spiritus ille ſanctus, qui habitat in ſanctis, ex quibus illa una columba deargentata charitatis, igne conflatur, agit quod agit,

Hiero lib. 1. contra Iouinian.

Aug. lib. 2. de mirabilibus ſacræ ſcript. ca. 10.

Aug in lib. de quæſtio. uete. & noui Teſtamenti. quæſt. 11. quamquidã minimè Auguſti. aſcribant, inter eius tamen opera inſertus eſt.

Auguſt epiſtol. 23.

etiam per ſeruitutem aliquando, non ſolùm ſimpliciter ignorantium uerumetiam damnabiliter indignorum. Sed & multo luculentius idem Auguſtinus infit de præpoſitis malis, Chriſtum plebem ſuam ſecuram facere uoluiſſe ne propter illos doctrinæ ſalutaris cathedra deſereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim ſua ſunt quæ dicunt, ſed Dei qui in cathedra unitatis doctrinam poſuit ueritatis. Proinde ille uerax, & ipſe ueritas de præpoſitis ſua mala facientibus, & Dei dona dicentibus ait: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Non utique diceret, Quæ faciunt, facere nolite, niſi manifeſtaſſet mala quæ faciunt. Cum his etiam planè conſpirat autoritatis minimè contemnendæ Græcus autor Theophilactus ea diui Ioannis euangeliſtæ uerba explanans, Vnus autem Cayphas quum eſſet pontifex anni illius: Conſidera igitur (inquit) pontificalis dignitatis uirtutem quomodo plena ſit gratia ſpiritus, tametſi indigni ſint, qui illam gerant: & honora ſacerdotes dignè propter gratiam in eis, non propter eorum uoluntatem. Sic ille. Et rurſum idem explicans ea diui Ioannis in euangelio uerba, Accipite ſpiritum ſanctum, &c. Vide inſuper (ait) ſacerdotum dignitatem, quòd diuina ſit: Dei enim eſt remittere peccata. Sic igitur illi ſunt ut Deus. Nam quamuis indigni ſint, quid hoc? diuinorum donorum miniſtri ſunt, & gratia operatur per eos, ſicut per Aſinam Balaan locutus eſt. Non enim indignitas noſtra gratiam prohibet, atque ita quia per ſacerdotes gratia ſuppeditatur, honorandi ſunt. Hæc ipſa quæ prædiſſeruimus, & ſi abundè ſufficiant ad eorum, qui ueritati aduerſantur, refellendam calumniam: multo tamen plura adijcere potuiſſemus, quæ pleniore ſermone

Auguſt. epiſtol. 166.

Theophilact. ſuper Ioann. cap. 2.

Idem Theophilac. ſuper eundem Ioā. cap. 20.

ſermone diuus Auguſtinus contra Parmenianum,qui eodem laborauit errore ſcripta nobis reliquit. Et Gratianus in ſua decretorum compilatione uarijs in locis multa diſperſa conſcripſit.

Aug. lib. 2. contra Parmenia.

Adiunguntur & duæ admodum luculentæ rationes,quibus haud dubie probatur, in functione eccleſiaſtici adminiſterij haudquaquam perſonæ probitatem,uel gratiam conſiderandam eſſe : ſed potius iniunctum officium & dignitatem : & ex aduerſo pro pſeudoeuangeliſtis adductæ rationes quàm luculentiſſimè diluuntur.

SEd & duas admodum quum euidentes tum & concludentes adiungere rationes placuit. Nempe ſi eorum, qui ſalutis Chriſtiano gregi pabula præbent, mores prius diſquirere,uitæq; ſanctitatem in illis expoſcere oporteret : maxima admodum,euangelicæq; legi contraria ſequeretur abſurditas : ut de eccleſiæ adminiſtrorum definitionibus,præceptionibus,alijsq; functionibus certam habere notionem,& fidem, num obſequendum foret, poſſet nemo : quum ſemper ſubdubitare liceret, num illi ſanctæ inculpatæq; uitæ eſſent,an uerò mali : hincq; eccleſiæ ducum, & paſtorum autoritas continuò nutaret, ac fidelis animus uarijs ſemper titubaret ſcrupis. Quum tamen accedentem credere oporteat. Et quod abſurdius longè foret, & fuit diui Thomæ ratio, conſequens eſſet, in his omnibus,quæ à diuina bonitate, & inſpiratione in adminiſtrorum & paſtorum probitate, & uirtute, in qua plerunque cæcutire poſſemus,fidendum eſſet;contra diuinam per os Hieremiæ Prophetę execrationem,Maledictus homo qui ſpem ponit in homine.non enim ab adminiſtrorum uirtute pendet, quod pro dominici directione gre-

gis uel neceſſarium uel conducibile eſt. Sed à CHRISTI ſponſi, qui nunquam à ſponſa ſeparatur, & qui per miniſtros loquitur, bonitate, & clementia. Ob quod Apoſtolus Corinthijs ait: Ego (inquit) plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui irrigat, ſed qui incrementum dat Deus. Idem & diuus Petrus in Apoſtolorum Actis ad Iudæos miraculorum, quæ & ipſe & alij Apoſtoli faciebant, magnitudine, & excellentia, ſtupidos dicebat. Quare (inquit) ſic obſtupefacitis, & obſtupefacti eſtis in hac re? nam non ſumus hoc operati, uel propria uirtute incolumitati eum reſtituimus, & ambulare fecimus. Quid in nos intenditis? nihil amplius nos attulimus, quàm quòd linguam noſtram commodauimus: qui autem omnia fecit, dominus eſt, & ille naturæ conditor Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, quos Patriarchas cenſetis. Ille quem uos tradidiſtis, & negaſtis coram facie Pilati, iudicantis illum dimittendum, ille eſt, qui omnia operatus eſt. Nunc uerò placet & alteram magis urgentem adducere rationem. Nempe iubet CHRISTVS in euangelio fraternis monitis minimè audientem eccleſiæ denunciare, inquiens: Quòd ſi te non audierit, dic eccleſiæ, &c. Vniuerſæ autem eccleſiæ corpori hanc denunciationem minimè Chriſtus præcipere uoluit: Quandoquidem adeo (ut prædiximus) id difficilè foret, ut ſecundum humanam fragilitatem impoſſibile exiſtimari debent. Ob quod in ſequentibus pijſsimus redemptor pro eccleſia illius paſtores, & adminiſtros qui typo quodam eam referunt, intellexiſſe declarat. Si neceſſarium foret hos ſanctæ inculpatæq; uitæ eſſe, ut eccleſiam in iudicando, uel præcipiendo referrent: neque alioqui eorum dicto auſcultandum eſſet, ni uitæ candor

1. ad Corint. cap. 3.

Act. cap. 3.

adeſſet,

adeſſet, impoſsibile profectò ac ſuperuacaneum Chriſtus patris ſapientia monuiſſet,& præcepiſſet. Enimuero quis cognoſcere poſſet, an digni eccleſiæ adminiſtri eſſent, quod noſſe, ſolius eſt Dei, quum homo neſciat etiam de ſemetipſo an amore uel odio dignus ſit. Et Paulus clamabat, Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc iuſtificatus non ſum. Minus longè hanc de aliena conſcientia notionem homines habere,ac facilè ſuſpicionibus, & coniecturis decipi, errare, labiq; poſſent: proinde præceptum euangelicæ denunciationis exequi impoſsibile foret. Vbi enim ſcirent eam eccleſiam eſſe à ſanctæ inculpatæq; uitæ adminiſtris relatam, ubi eam perquirerent? plerunque enim quos bonos credimus,mali ſunt: & qui mali exiſtimantur,probi & electi apud Deum. Sed & longè adhuc maior ſequeretur abſurditas: cenſuit nanq; CHRISTVS minimè eccleſiæ dicto audientes, tanquam ethnicos & publicanos habendos. Si in iudicando, definiendo, præcipiendo,ac alijs id genus quæ eius muneris, & functionis ſunt, hi ſolùm adminiſtri eccleſiam referre cenſeantur, eorumq; dicto tantum audiendum ſit, qui uitæ ſanctitate polleant: iam planè pro uel bona parte quæ eccleſiæ debetur, obedientiam, & deuotionem in exilium protrudimus: quippe uel facilè leuibus ſuſpicionibus in eam credulitatem quiſque adduci poterit, ut candore deficiente uitæ in adminiſtro ſimul & gratiam ſpiritus deeſſe autumet, atque hinc minimè eccleſiam ab impuro referri adminiſtro, cuius proin monitis, uel præceptis obſequendum haudquaquam ſit. Sicq; tolletur debita obedientia ſaltem uaria dubietate perpetuò nutabit, quam tamen CHRISTVS certam eſſe uoluit. Quinimo tum cuique facilè liceret prætextum cauſari minimè paſtorum auſcul-

tare monitis,& præceptis. Semper enim dicerent,ut nunc paſsim pſeudoeuangeliſtæ aiunt,hos peruerſos eſſe præfectos, cum quibus Dei ſpiritus non ſit, & à quibus conſectaneè eccleſia minimè referatur. Sicq́; nulla eſſet eccleſiaſticæ diſciplinæ, uel deuotionis certitudo, aut firmitas, ſed omnia uelut in ancipiti uacillarent. Neque in ſuperioribus ex aduerſo adductæ refragantur rationes: planè nempe fatendum eſt, myſteriorum ſcientiam ſpiritalem prophetiam,id eſt,interpretationem ſpiritus gratiam minimè haberi poſſe,nec quenquam rectè docere,quæ Chriſti,& eius euangelij ſunt, niſi per ſpiritum. Propter quod Paulus ait (quem in præcedentibus citauimus) Nemo poteſt dicere CHRISTVS IESVS, niſi in ſpiritu ſancto. Atqui ut gratiam hanc non gratum hominem facientem, ſed gratis ad corporis utilitatem datam palam faceret moxq́; ſubiũgit,Diuiſiones quidem gratiarum ſunt,idem autem ſpiritus. Et paulò pòſt: Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem.& quæ ſequuntur.Quibus in ſuperioribus latè comprobauimus, hanc ſpiritus gratiam ad corporis utilitatem, & ædificationem conceſſam. Et hinc improbis plerunque adeſſe adminiſtris,non propter ſe, ſed propter alios: uelut quæ potius officio & adminiſterio, quàm perſonæ inhærere cenſetur. Nempe adminiſterium ſanctum eſt in ſe, & candidum officium: & quæ ſancta ſunt, miniſtrorum improbitate coinquinari haudquaquam poſſunt, nec ob eam adminiſtri impuritatem mundæ, & ſynceræ enunciatio doctrinæ interturbatur,etſi per inquinati miniſtri os annuncietur. Nam ſi uiſibilis (ait Anaſtaſius ſecũdus) ſolis iſtius radij quum per loca fœtidiſsima tranſeunt, nulla contactus inquinatione maculantur: multo magis ipſius qui iſtum uiſibilem

Citat Grat. in cap.ſecundum.19.diſt.

lem

lem fecit, uirtus nulla miniſtri indignitate conſtringitur. Ob quod diuus Auguſtinus in eam ſententiam perbellè ait, Spiritum ſanctum in eccleſia ita operari, ut reprobos effugiat,& tamen per illorum miniſteria probos calligat. Neque (ut idem infit) donum hoc chariſmatis ad aliorum ædificationem conceſſum eò contaminatur, quòd per indignum, & ſuperbum tranſeat adminiſtrum: quia per illum purus fluuius tranſit, & uenit ad fertilem terram. Hinc diuus Gregorius maximè eos reprehendit, qui ſancta monita, & ſpiritualia ſacerdotum dona propter præſumptam illorum indignitatem ſpernunt, ac mali adminiſtri haud abſurdè in ea re à Nicolao Papa ad Bulgarorum conſultationem reſpondente, accenſæ faci comparantur. Sibi quidem detrimentum præſtat, alijs uerò lumen in tenebris adminiſtrat: & unde alijs commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet. Multo plura ex ſacris citare doctoribus poſſemus, quæ Gratianus congeſsit in ſua decretorum compilatione. Inde uel facilè reſponderi poteſt ad illud ſapientis, quòd ſpirituſſanctus fictum effugiet diſciplinæ. Illius nempe & ab ea prodiens ſalutaris doctrina malis, & improbis ineſſe, nec facilè credi poteſt, uel debet, ut ſcilicet ſeipſos ædificent, & ſaluos efficiant. Sed ſi officium, & adminiſterium in eccleſiæ corpore gerant, illis (ut prædiximus) gratia ineſt: non quidem gratum faciens, ſed gratis data ad corporis utilitatem ut per eam eccleſiaſtica rectè impleatur functio ad Chriſtiani ædificationem gregis. Ob quod minimè adminiſtrorum dignitas, uel indignitas conſiderari debet: ſed Dei uirtus, quæ illorum infunditur miniſterio, nec illorum indignitate maculari poteſt. Nec tunc ſapientis uerba refragantur quòd adminiſterio ſancto, & uero, & candido,

Auguſt. lib. de blaſphema. ſpirituſſancti gratia in ca. ſpirituſſanctus 1. q. 10. Idem

Augu. contra hæretic. citat Grat. in ca. ita eiſdem cau. & quaſt.

Augu. contra hæret. citat Grat. in cap. ſi iuſtis. eiſdem cau. & quaſt.

Grego. citat Grat. in ca. multi. eiſdē cau. & q.

Citat Grat. in ca. fin. 15. quaſt. ulti.

Grat. plerūque 1. q. 10.

& ſyncero miniſtri improbitate minimè labefacto hæc ſpiritus gratia inſit potius quàm perſonæ. Quo etiam uel facilè diluitur altera pſeudoeuágeliſtarum ratio, quam & ex diuo Irenæo deſumunt, dum is inquit, Ibi eſſe eccleſiam, ubi eſt ſpiritus Dei. Nempe ſpiritus Dei in eccleſia eſt, & extra eccleſiam nemo illum recipere poteſt. Vnde non niſi congregatis in unum dictum eſt, Accipite ſpiritum ſanctum: nec niſi ſuper congregatis in unum die Pentecoſtes deſcendit ſpirituſſanctus. Sicut autem extra eccleſiam non accipitur, ita extra eam ſalubriter non operatur. Et quum ita in eccleſia operetur, ut præfati ſumus, ut licet malos fugiat, illorum tamen adminiſterio probos colligat: palam eſt, & illius improbis adminiſtris ineſſe gratiam qua illorum functione improbi colligantur, ſicq; ſpiritus Dei ineſt officijs, adminiſterijs, & eccleſiaſticis muneribus, etiam ſi indigni illa ſubeant. Et ideo ab illis uelut adminiſtris, & loci CHRISTI cuſtodibus, illiusq; uices gerentibus eccleſia in iudicando, interpretando, præcipiendo, & docendo referri poteſt. Sed profectò ille ſpiritus pſeudoeuangeliſtis haudquaquam ineſſe cenſeri poteſt. Nempe (ut in præcedentibus latè diſſeruimus) ſpiritus Dei, ſpiritus pacis, concordiæ, & unitatis. Propterea minimè cum illis eſſe poteſt, qui à catholico diſſentiunt cœtu, & ab uniuerſalis traditionibus eccleſiæ decedunt. Nec pariter refragatur, dum in Geneſi dicitur, ſpiritum domini in hominibus qui carnes ſunt, minimè eſſe. Nam eodem modo quo ſuperior, hæc ratio refellitur. Hominibus carnalibus ad ſui ædificationem haudquaquam ſpiritum Dei ineſſe ſed nunquam illius gratia, quæ in miniſtris, & dogmatibus operatur eccleſiaſticis deeſſe credi debet, his qui hoc muneris gerunt, licet indigni, & mali ſint,

Alexand. ſecundus citat Grat. in ea. loquitur. 21. quæſt. 10.

ſint, ceu potius conceſſa officio, & adminiſterio, quàm perſonarum merito, ad corporis ædificationem, & non propter ſe, ut ſæpius prædiximus. Minus quoque obſiſtit quod CHRISTVS in euangelio ait, Spiritum ueritatis, quem mundus non accipit. Mundum enim ibi, ut ſacri doctores explanant, CHRISTVS intelligit eos, qui extra ſuam eccleſiam eſſent, non eos qui intra eccleſiam per fidem continentur. Hi nempe etiam ſi fidem otioſam, & mortuam ſine charitate habeant, licet eis ea fidei uirtus quæ ſaluos efficit deſit, non tamen adminiſterio, uel officio quod gerunt, abeſſe præſumitur ea fidei uirtus, quæ Dei donum eſt, nec alia chariſmata miniſterij, & ſcientiæ, quæ ad communem totius corporis ædificationem conceſſa ſunt. Tametſi uerò Paulus dicat, quòd animalis homo quæ ſunt ſpiritus Dei non percipiat. Intelligit quantum ad ſui ipſius directionem, & ſalutem. Sed ſi functionem obeat ſpiritalem, illi inhærentia chariſmata licet alioqui malus, & improbus ſit, habere præſumitur. Quia illa potius inſunt officio, quàm perſonæ merito. Et dum diuus Petrus ait, Sanctos Dei homines ſancti ſpiritus inſpiratione locutos: non taxatiue loquitur, ut alios, quàm ſanctos Dei ſpiritu inſpiratos minimè aſſerere uelit locutos fuiſſe. Quum Balaan, Saul, & Cayphas uiri alioqui impurioris uitæ ſpiritu Dei prophetauerint. Sed & mali quantum ad munus quod obeunt eccleſiaſticum, ſancti cenſeri poſſunt: Sancta nempe eſt illorum functio, ſanctorum illorum officium cui chariſma Prophetiæ, id eſt, interpretationis chariſma, item ſcientiæ myſterium ineſſe uidetur, & non perſonarum meritis, ut plenè ediſſeruimus. Vnde dum diui Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus dicunt ad illos Apoſtolorum deriuari poteſtatem, qui il-

lorum in uita, & doctrina imitatores ſunt: planè intelligi debent, quantum ad eam conferendam gratiam, quæ congrui merito, uel eccleſiaſticæ ſuffragio rationis aduenit: non quantum ad eam, quæ ui clauium adminiſterij ſcilicet, & officij procedit. Illa nempe non penſatis meritis etiam peruerſorum functione adminiſtrorum confertur. Nec poſtremo obſiſtit quod Cyrillus in præfatione commentariorum in Ioannis euangelium ait: Intelligendus nempe eſt in doctrina illuminante, dirigente, & ſaluum faciente eum, qui habet. Sed non de ſcientiæ & doctrinæ chariſmate, quòd ratione adminiſterij uel officij eccleſiaſtici, non propter ſe, ſed & ad aliorum inſtructionem & directionem conceditur. Hoc enim (ut plerunque prædiximus) etiam malis ad aliorum utilitatem conceditur, nec permittuntur ea abuti functione in his quæ ſalutis neceſſaria directio expoſcit, quam non ſibi, ſed alijs obeunt: & alioqui multæ abſurditates conſequerentur, quas antea declarauimus. Quibus uel quantum deſipiant ueritatis adulteratores uidere poſſunt, dum propter corruptos mores paſtorum præceptis, decretis, & monitis auſcultare renuunt: quos ualidiſsime obiurgare uidetur diuus Chryſoſtomus: Hoc (ait) mandatum (loquens de Ioſeph Aegyptiorum ducis mandato, quod ſub Pharaone poſuit, ut tributum penderent omnes, excepta ſola ſacerdotum terra) audiant, qui nunc uiuunt, quantam olim ſacerdotum idolorum curam habuerint: & diſcant, ut uel ſaltem parem habeant honorem his, quibus omnium Dei miniſterium eſt creditum, & ſacerdotio inſigniti ſunt. Si enim illi errantes, & tantam idolorum curam habentes, quia ex hoc putabant idola magis coli, ita eorum miniſtros colerent: quanta nunc condemnatione digni, qui imminuunt

Chryſoſt. ſuper Gen. homil. 65.

quod

quod ad illorum ſpectat cultum. An neſcitis quod honor ad Deum ipſum pertinet? Ne igitur conſpicias eum, cui honor confertur: non enim propter illum debes quod tuum eſt facere, ſed propter illum, cuius ſacerdos eſt, ut ab illo retributiones ubertim accipias. Propter quod & dicebat, qui fecerit uni horum, & mihi fecit. Et qui accipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem & Prophetæ accipiet. Non à dignitate uel utilitate miniſtrorum tibi retribuet dominus oblationem tuam, uel coronat, uel condemnat. Et ſicut honor qui propter ipſum impenditur, multum parit fiduciæ, propria enim facit Deus, quæ in ſeruos ſuos collocantur. Ita & illorum contemptus multam è ſupernis pœnam nobis deferet. Igitur ſicut ſuum eſſe honorem, ita & contemptum dicit. Id quod ſcientes, nunquam negligamus cultum, qui ſacerdotibus Dei debetur. Et hæc dico, non tantum illorum rationem habens, quantum ueſtræ charitatis cupiens uos in omnibus lucriſacere. Sic ille.

Multorum ſanctorum pontificum exemplis pſeudoeuangeliſtæ monentur ſacroſanctæ eccleſiæ decreta, & mandata non ſecus ac euangelicas uel apoſtolicas uenerari leges.

ET ut maiorum exemplo hoſce excæcatos noſtrę tempeſtatis nouitatum magiſtros ſanctorum decreta patrum reuereri, colere, & obſeruare, & commonefaciam. Placet illis multorum ſanctorum pontificum, diuorum catalogo relatorum, ac omnium calculo ſanctæ candidæq; uitæ imitandum proponere morem: qui non minus ſacra eccleſiæ decreta, quàm euangelica dogmata uenerantur, & laudant: ac aduerſantes ſacrorum conciliorum cano-

nibus non ſecus ac hæreticos procul arcendos iudicant. Primùm nanq; Leo quartus, ad epiſcopos Britanniæ ſcribens, ait: Quam ob cauſam (inquit) luculentius, & magna uoce pronunciare non timeo. Quia, qui illa, quæ prædiximus ſanctorum patrum ſtatuta, quæ apud nos canonum nomine prætitulantur, ſiue ſit epiſcopus, ſiue ſit clericus, ſiue laicus, non indifferenter recipere conuincitur, nec catholicam, & Apoſtolicam fidem, nec ſancta quatuor euangelia utiliter, & efficaciter ad effectum ſuum retinere, uel credere probatur. Hi blaſphematores ſpiritusſancti rectè cenſentur, qui eo modo ſacros canones floccifaciunt, & nihil ducunt. Vnde Damaſus Papa, contemporaneus diui Hieronymi, ait, Quoniam blaſphemare ſpiritum ſanctum uidentur, qui contra ſacros canones lubenter aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere uolentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumptio (ſubiungit) manifeſtè eſt unum genus blaſphemantium ſpiritum ſanctum: quia contra eum agitur, cuius nutu & gratia ſancti canones ęditi ſunt. Quos diuus Iſidorus, ad Maronem epiſcopum ſcribens, dicit à ſanctis patribus non electione proprij arbitrij, ſed potius ex ſententia diuini iudicij conſtitutos fuiſſe. Et Auguſtinus ad inquiſitiones Ianuarij dicit plenariorum conciliorum à quibus ſacri canones æditi, ſaluberrimam in eccleſia Dei autoritatem. Hinc Hormiſda Papa omnibus epiſcopis per uniuerſas prouincias conſtitutis, ſcribens inquit: Nemo mihi talia quælibet contra autoritatem ſedis Apoſtolicæ, uel contra trecentorum decem & octo epiſcoporum, & reliquorum canonum conſtituta obijciat. Quia quicquid contra illorum definitionem, in quibus ſpiritum ſanctum credimus locutum, dictum fuerit, recipere non ſolum

Citat Grat. in cap de libellis. 20. diſtinct.

Grat. in capite uiolatores 25. quaeſt. 1.

Grat. in cap. hoc ipſum. circa princ. 33. quaeſt. 12.

Grat. in cap. illa. 12. diſt. 1. Auguſtini.

Grat. in cap. ſi ille. 50. diſt.

lum temerarium,ſed etiam periculoſum eſſe, non dubito. Propterea diuus ille Bonifacius Papa ait, Tantorum igitur patrum inſtituti exemplis, quibus periculoſiſsimum eſſet refragari.Et Leo Papa dicit,quibus nos fide qui tam deteſtabile nephas, quod iam multis eſt damnatum concilijs,peregiſſe noſcuntur,nulla poſſumus pœnitentia ſubuenire, & tot ſpiritualibus patribus obuiare. Et pulchrè diuus Gelaſius Papa ſummam oſtendens reuerentiam, quam ad ſacros conciliorum canones habere oportet, inquit: Quum enim decreta uenerabilium ſanctionum nos quoque magnopere cuſtodire nitamur, ac ſine eorum diſpendio etiam illa quę pro alicuius utilitatis compendio fortaſſe uideantur laxanda credamus.Et rurſum:Quumq́; nos contra ſalutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nihil dicere. Nimirum quia (ut inquit Leo primus Papa) canones ſanctorum patrum ſpiritu Dei conditi ſunt, & totius mundi reuerentia conſecrati. Eam ob rem ad hos impudentes pſeudoeuangeliſtas qui eò arrogantiæ proceſſere, ſeſe in ſacra doctiores ſcriptura, ac illius clariores, & ueriores interpretes,& explanatores omnibus ſanctis patribus à quibus ſacri æditi ſunt canones nimium blaſphemo prædicant ore, cum diuo Hormiſda Papa dicere lubet: Sed quia forte non deſunt quibus pro nimia pietate ſuperſcripta ſanctorum patrum ſeueritas minimè placeat:ſciant ſe trecentorum decem & octo epiſcoporum,& aliorum qui reliquos ſtatuerunt canones,ſententias reprehendere,uel damnare. Et ſequitur: Sed quia forte maior eſt in illis pietas quàm in ſupraſcriptis trecentis decem & octo epiſcopis, maior eſt in illis miſericordia, quàm in ſancto Ioanne Papa, maior charitas,

Grat.in cap. ſunt nonnul li.16.q.1.

Grat.in cap. requiritis. 1. quæſt.7.

Grat.in cap. Baſilicos. de conſecra.diſtinct.1.

Gratian. in ca.igitur.25. quæſt.2.

Grat.in cap. ſi quis diaconus.50.diſt.

quàm in reliquis ſanctis ſacerdotibus. Qui hoc exemplo remedia eccleſiarum ſuis definitionibus deliberauerunt. Et ideo aut prona uoluntate præceptis illorum conſentiant, aut omnibus illis contrarios, & inimicos ſe eſſe cognoſcant. Hæc ille. Ad uos autem dicere poſſum quod Nicolaus Papa Ignatio epiſcopo ſcribit, Ridiculum (inquit) eſt, & ſatis abominabile dedecus, ut traditiones quas antiquitus à patribus ſuſcepimus infringi patiamur.

Grat in cap. ridiculū. 12. diſtinct. 7.

FINIS.



